[2] Ἀφέξομαι γαρ τῦ χρυσίυ] Non hîc subauditur τὶ, quod vult Leeds' sed ἐμαυτὸν vel τὰς χεῖρας ἀπὸ, quod ex præcedentibus facile est colligere.

[3] Τετρασύλλαβος] Σιμωνίδης.

MIK.

MIK. Ἰδοὺ δὴ, ὦ Ἥρακλεις, ἀναπεπέτασται ὥσπερ κλειδὶ ἡ θύρα. ΑΛΕΚ. Ἡγῶ ἐς τὸ πρόσθεν. Ὁρᾷς αὐτὸν ἀγρυπνοῦντα, καὶ λογιζόμενον; MIK. Ὁρῶ, νὴ Δία, πρὸς ἀμαυράν γε καὶ διψῶσαν τὴν θρυαλλίδα· καὶ ὠχρὸς δ' ἐστὶν, οὐκ οἶδ' ὁπόθεν, ὦ Ἀλεκτρυὼν, καὶ κατέσκληκεν ὅλος ἐκτετηκὼς ὑπὸ φροντίδων δηλαδή· οὐ γὰρ νοσεῖν ἄλλως ἐλέγετο. ΑΛΕΚ. Ἄκουσον ἃ φησὸν, εἴσῃ γὰρ ὅθεν οὕτως ἔχει. ΣΙ. Οὐκοῦν τάλαντα μὲν ἑβδομήκοντα ἐκεῖνα πάνυ ἀσφαλῶς ὑπὸ τῇ κλίνῃ κατορώρυκται, καὶ οὐδεὶς ὅλως εἶδε· τὰ δὲ ἑκκαίδεκα [a] εἶδεν, οἶμαι, Σωσύλος ὁ ἱπποκόμος ὑπὸ τὴν φάτνῃ κατακρύπτοντά με· ὅλως γοῦν περὶ τὸν ἱππῶνά ἐστιν οὐ πάνυ ἐπιμελὴς, ἄλλως τ' οὐδὲ φιλόπονος ὤν. Εἰκὸς δὲ διηρπᾶσθαι πολλῷ πλείω τούτων· ἢ πόθεν γὰρ ὁ Τίβιος τάριχον αὐτῷ οὕτω μέγαν ὠψώνηκεν ἐχθές; ἐλέγετο δὲ τῇ γυναικὶ ἐλλόβιον ἐωνῆσθαι πέντε δραχμῶν· ὅλως τἀμὰ οὗτοι σπαθῶσι [1] τοῦ κακοδαίμονος· ἀλλ' οὐδὲ τὰ ἐκπώματα ἐν ἀσφαλεῖ μοι ἀπόκειται, τοσαῦτα ὄντα. Δέδια γοῦν μή τις ὑπορύξας τὸν τοῖχον, ὑφέληται ταῦτα· πολλοὶ φθονοῦσι, καὶ ἐπιβουλεύουσί μοι, καὶ μάλιστα ὁ γείτων Μίκυλλος. MIK. Νὴ Δία· σοὶ γὰρ ὅμοιος ἐγὼ, καὶ τὰ τρύβλια ὑπὸ μάλης ἄπειμι ἔχων. ΑΛΕΚ. Σιώπησον, ὦ Μίκυλλε, μὴ καταφωράσῃ παρόντας ἡμᾶς. ΣΙ. Ἄριστον γοῦν ἄγρυπνον

[1] Τοῦ κακοδαίμονος.] Refer ad Genit. ἐμοῦ inclusum in τἀμά. Similis apud Latinos locutio,

——— *nostros vidisti flentis ocellos.* Leeds.

VARIÆ LECT.

[a] Γρ. in MS. teste Grævio, εἶδεν οἶμαι, &c. in Vulg. deest οἶμαι.

αὐτὸν

αὐτὸν φυλάττειν ἅπασαν περίειμι διαναςὰς ἐν κύκλῳ τὴν οἰκίαν· τίς οὗτος; ὁρῶ σέ γε, ὦ τοιχώρυχε, μὰ Δία· ἐπεὶ κίων γε ὢν τυγχάνεις, εὖ ἔχει. Ἀριθμήσω αὖθις ἀνορύξας τὸ χρυσίον, μή τί με πρώην διέλαθεν. Ἰδοὺ πάλιν ἐψόφηκέ τις ἐπ' ἐμέ· δηλαδὴ πολιορκοῦμαι, καὶ ἐπιβουλεύομαι πρὸς ἁπάντων. ποῦ μοι τὸ ξιφίδιον; ἂν λάβω τινά; θάπτωμεν αὖθις τὸ χρυσίον. ΑΛΕΚ. Τοιαῦτα μέν σοι, ὦ Μίκυλλε, τὰ Σίμωνος. Ἀπίωμεν δὲ καὶ παρ' ἄλλον τινά, ἕως ἔτι ὀλίγον τῆς νυκτὸς λοιπόν ἐςιν. ΜΙΚ. Ὁ κακοδαίμων οἷον βιοῖ τὸν βίον. Ἐχθροῖς οὕτω πλουτεῖν γένοιτο· κατὰ κόῤῥης γοῦν παταξας αὐτὸν ἀπελθεῖν βούλομαι. ΣΙ. Τί ἐπάταξέ με; λῃςεύομαι ὁ δυςυχής. ΜΙΚ. Οἴμωζε, καὶ διαγρύπνει, καὶ ὅμοιος γίγνου τὸ χρῶμα τῷ χρυσῷ, προςετηκὼς αὐτῷ· ἡμεῖς δὲ, εἰ δοκεῖ, Γνίφωνα τὸν δανειςὴν ἴδωμεν· οὐ μακρὰν δὲ καὶ οὗτος οἰκεῖ· ἀνέῳκται αὕτη ἡμῖν ἡ θύρα. ΑΛΕΚ. Ὁρᾷς ἐπαγρυπνοῦντα καὶ τοῦτον ἐπὶ φροντίδων, ἀναλογιζόμενον τοὺς τόκους, καὶ τοὺς δακτύλους κατεσκληκότα, ὃν δεήσει μετ' ὀλίγον πάντα ταῦτα λιπόντα, σίλφην, ἢ ἐλπίδα, ἢ κυνόμυιαν γενέσθαι; ΜΙΚ. Ὁρῶ κακοδαίμονα, καὶ ἀνόητον ἄνθρωπον, οὐδὲ νῦν πολὺ τῆς σίλφης, ἢ ἐμπίδος ἄμεινον βιοῦντα· ὡς δὲ καὶ οὗτος ἐκτέτηκεν ὅλος ὑπὸ τῶν λογισμῶν. Ἐπ' ἄλλον ἀπίωμεν. ΑΛΕΚ. Παρὰ τὸν σὸν Εὐκράτην, εἰ δοκεῖ· καὶ ἰδοὺ γὰρ ἀνέῳκται καὶ αὕτη ἡ θύρα· ὥςε εἰσίωμεν. ΜΙ. Ἅπαντα ταῦτα μικρὸν ἔμπροσθεν ἐμὰ ἦν. ΑΛ. Ἔτι γὰρ σὺ ὀνειροπολεῖς τὸν πλοῦτον; ὁρᾷς γοῦν τὸν Εὐκράτην αὐτὸν μὲν ὑπὸ τοῦ οἰκέτου πρεσβύτην ἄνθρωπον. ΜΙ. Ὁρῶ, νὴ Δία, καταπυγοσύνην τινά, καὶ πασχητιασμόν, καὶ ἀσέλγειαν οὐκ ἀνθρωπίνην, τὴν γυναῖκα δὲ ἑτέρωθι ὑπὸ τοῦ μαγείρου

γείρᴕ μοιχευομένην καὶ αὐτήν. ΑΛ. Τί ᴕ̃ν ἐθέλοις ἂν καὶ τᴕ́των κληρονομεῖν, ὦ Μίκυλλε, καὶ πάντα ἔχειν τὰ Εὐκράτᴕς; ΜΙ. Μηδαμῶς, ὦ Ἀλεκτρυών· λιμῷ πρότερον ἀπολοίμην, ἢ τοιᴕ̃τόν τι πείσομαι· χαιρέτω τὸ χρυσίον, καὶ τὰ δεῖπνα· δύο ὀβολοὶ ἐμοί γε πλᴕ̃τός ἐςι μᾶλλον, ἢ τοιχωρυχεῖσθαι πρὸς τῶν οἰκετῶν. ΑΛ. Ἀλλὰ νῦν, ἡμέρα γὰρ ἤδη ἀμφὶ τὸ λυκαυγὲς αὐτὸ, ἀπίωμεν οἴκαδε παρ' ἡμᾶς. τὰ λοιπὰ δὲ εἰσαῦθις ὄψει, ὦ Μίκυλλε.

ΘΕΩΝ ΕΚΚΛΗΣΙΑ.

ΖΕΥΣ.

ΜΗΚΕΤΙ τονθορίζετε, ὦ Θεοὶ, μηδὲ κατὰ γωνίας συστρεφόμενοι, πρὸς ᴕ̃ς ἀλλήλοις κοινολογεῖσθε, ἀγανακτᴕ̃ντες, εἰ πολλοὶ ἀνάξιοι μετέχᴕσιν ἡμῖν τᴕ̃ συμποσίᴕ· ἀλλ' ἐπείπερ ἀποδέδοται περὶ τᴕ́των ἐκκλησία, λεγέτω ἕκαστος ἐς τὸ φανερὸν τὰ δοκᴕ̃ντά οἱ, καὶ κατηγορείτω· σὺ δὲ κήρυττε, ὦ Ἑρμῆ, τὸ κήρυγμα τὸ ἐκ τᴕ̃ νόμᴕ. ΕΡΜ. Ἄκᴕε, σίγα· τίς ἀγορεύειν βᴕ́λεται τῶν τελείων Θεῶν, οἷς ἔξεστιν; ἡ δὲ σκέψις περὶ τῶν μετοίκων καὶ ξένων. ΜΩΜ. Ἐγὼ ὁ Μῶμος, ὦ Ζεῦ, εἴ μοι ἐπιτρέψειας εἰπεῖν. ΖΕΥΣ. Τὸ κήρυγμα ἤδη ἐφίησιν· ὥστε ᴕ̓δὲν ἐμοῦ δεήσῃ. ΜΩΜ. Φημὶ τοίνυν δεινὰ ποιεῖν ἐνίᴕς ἡμῶν, οἷς οὐκ ἀπόχρη Θεοὺς ἐξ ἀνθρώπων αὐτοὺς γεγενῆσθαι, ἀλλ' εἰ μὴ καὶ τοὺς ἀκολούθᴕς, καὶ θεράποντας αὐτῶν ἰσοτίμᴕς ἡμῖν ἀποφανοῦσιν, οὐδὲν μέγα, οὐδὲ νεανικὸν οἴονται ἐργάσασθαι· ἀξιῶ δὲ, ὦ Ζεῦ, μετὰ παῤῥησίας μοι δοῦναι εἰπεῖν· οὐδὲ γὰρ ἂν ἄλλως δυναίμην· ἀλλὰ πάντες με ἴσα-

σιν ὡς ἐλεύθερός εἰμι τὴν γλῶτταν, καὶ οὐδὲν ἂν κατασιωπήσαιμι τῶν οὐ καλῶς γιγνομένων· διελέγχω γὰρ ἅπαντα, καὶ λέγω τὰ δοκοῦντά μοι ἐς τὸ φανερὸν, οὔτε δεδιώς τινα, οὔτε ὑπ᾽ αἰδοῦς ἐπικαλύπτων τὴν γνώμην· ὥστε καὶ ἐπαχθὴς δοκῶ τοῖς πολλοῖς, καὶ συκοφαντικὸς τὴν φύσιν, δημόσιός τις κατήγορος ὑπ᾽ αὐτῶν ἐπονομαζόμενος. Πλὴν ἀλλ᾽ ἐπείπερ ἔξεστι, καὶ κεκήρυκται, καὶ σὺ, ὦ Ζεῦ, δίδως μετ᾽ ἐξουσίας εἰπεῖν οὐδὲν ὑποστειλάμενος ἐρῶ. Πολλοὶ γὰρ, φημὶ, οὐκ ἀγαπῶντες, ὅτι αὐτοὶ μετέχουσι τῶν αὐτῶν ἡμῖν ξυνεδρίων, καὶ εὐωχοῦνται ἐπίσης, καὶ ταῦτα. Θνητοὶ ἐξ ἡμισείας ὄντες ἔτι καὶ τοὺς ὑπηρέτας, καὶ θιασώτας τοὺς αὐτῶν ἀνήγαγον ἐς τὸν οὐρανὸν, καὶ παρενέγραψαν· καὶ νῦν ἐπίσης διανομάς τε νέμονται, καὶ θυσιῶν μετέχουσιν, οὐδὲ καταβαλόντες ἡμῖν τὸ μετοίκιον. ΖΕΥΣ. Μηδὲν αἰνιγματωδῶς, ὦ Μῶμε, ἀλλὰ σαφῶς καὶ διαῤῥήδην λέγε, προστιθεὶς καὶ τοὔνομα. Νῦν γὰρ ἐς τὸ μέσον ἀπέῤῥιπταί σοι ὁ λόγος, ὡς πολλοὺς εἰκάζειν, καὶ ἐφαρμόζειν ἄλλοτε ἄλλον τοῖς λεγομένοις· χρὴ δὲ παῤῥησιαστὴν ὄντα, μηδὲν ὀκνεῖν λέγειν. ΜΩΜ. Εὖγε, ὦ Ζεῦ, ὅτι καὶ παροτρύνεις με πρὸς τὴν παῤῥησίαν· ποιεῖς γὰρ τοῦτο βασιλικὸν ὡς ἀληθῶς, καὶ μεγαλόφρον· ὥστε ἐρῶ καὶ τοὔνομα· ὁ γάρ τοι γενναιότατος Διόνυσος [1] ἡμιάνθρωπος ὢν, οὐδὲ Ἕλλην μητρόθεν, ἀλλὰ [2] Συροφοίνικος

[1] Ἡμιάνθρωπος ὢν] Ex matre ſcilicet, quæ teſte Euripide fuit Semele, Cadmi filia,

Ἥκω Διὸς παῖς τήνδε Θηβαίων χθόνα
Διόνυσος ὃν τίκτει ποθ᾽ ἡ Κάδμου κόρη
Σεμέλη ——— Vid. Eurip. Bacch. v. 1.

[2] Συροφοινικός τινος ἐμπόρου, &c. Cadmus erat Phœnicum rex. Ἔμπορον autem vocat, quòd Phœnices primi mercaturam exercuiſſe feruntur; de illis enim Dionyſius,

Ci

νικός τινος ἐμπόρου τοῦ Κάδμου θυγατριδοῦς, ἐπείπερ ἐξιώθη τῆς ἀθανασίας, οἷος μὲν αὐτός ἐστιν οὐ λέγω, οὔτε τὴν [1] μίτραν, οὔτε τὴν μέθην, οὔτε τὸ βάδισμα· πάντες γάρ, οἶμαι, ὁρᾶτε ὡς θῆλυς, καὶ γυναικεῖος τὴν φύσιν, ἡμιμανής, ἀκράτου ἕωθεν ἀποπνέων· ὁ δὲ καὶ ὅλην φρατρίαν εἰσεποίησεν ἡμῖν, καὶ τὸν χορὸν ἐπαγόμενος πάρεστι, καὶ θεοὺς ἀπέφηνε, τὸν Πᾶνα, καὶ τὸν Σιληνόν, καὶ Σατύρους, ἀγροίκους τινάς, καὶ αἰπόλους τοὺς πολλούς, σκιρτητικοὺς ἀνθρώπους, καὶ τὰς μορφὰς ἀλλοκότους. [2] Ὧν ὁ μέν, κέρατα ἔχων, καὶ ὅσον ἐξ ἡμισείας ἐς τὸ κάτω αἰγὶ ἐοικώς, καὶ γένειον βαθὺ καθειμένος ὀλίγον τράγου διαφέρων ἐστίν· [3] ὁ δὲ φαλακρὸς γέρων, σιμὸς τὴν ῥῖνα, ἐφ' ὄνου τὰ πολλὰ ὀχούμενος, Λυδὸς οὗτος· οἱ δὲ Σάτυροι, ὀξεῖς τὰ ὦτα, καὶ αὐτοὶ φαλακροί, κεράσται, οἷα τοῖς ἄρτι γεννηθεῖσιν ἐρίφοις τὰ κέρατα ὑποφύεται, Φρύγες τινὲς ὄντες· ἔχουσι δὲ καὶ οὐρὰς ἅπαντες. Ὁρᾶτε οἵους ἡμῖν θεοὺς ποιεῖ ὁ γεννάδας; εἶτα θαυμάζομεν, εἰ καταφρονοῦσιν ἡμῶν οἱ ἄνθρωποι, ὁρῶντες οὕτω γελοίους θεούς, καὶ τεραστίους; ἐῶ γὰρ λέγειν, ὅτι καὶ δύο γυναῖκας ἀνήγαγε, τὴν μὲν ἐρωμένην οὖσαν αὐτοῦ [4] τὴν Ἀριάδνην, ἧς καὶ τὸ στέφανον ἐγκατέλεξε τῷ τῶν ἀστέρων

Οἳ πρῶτοι νήεσσιν ἐπειρήσαντο θαλάσσης,
Πρῶτοι δ' ἐμπορίης ἁλιδινέος ἐμνήσαντο.

Vid. Διον. Περιήγ. v. 907.

1 Μίτραν] Μίτρα ὁ γυναικεῖος τῆς κεφαλῆς ἀναδεσμός. Schol.

2 Ὧν ὁ μέν, &c.] Pan; de quo, nec non iis, qui sequùntur, vid. Natal. Com. lib. 5.

3 Ὁ δὲ φαλακρός, &c.] Τὸν Σιληνὸν λέγει. Scholiastes.

4 Τὴν Ἀριάδνην, &c.] De quâ Propertius Bacchum alloquens,

Te quoque enim non esse rudem testatur in astris
Lyncibus in cælum vecta Ariadne tuis.

De

ἀςέρων χορῷ· [1] τὴν δὲ Ἰκαρίȣ τȣ͂ γεοργȣ͂ θυγατέρα· ϗ ὃ πάντων γελοιότατον, ὦ θεοὶ, καὶ τὴν κύνα τῆς Ἠριγόνης, καὶ τοῦτὸν ἀνήγαγεν, ὡς μὴ ἀνιῷτο ἡ παῖς, εἰ μὴ ἕξει ἐν τῷ οὐρανῷ τὸ ξύνηθες ἐκεῖνο, καὶ ὅπερ ἠγάπα κυνίδιον. Ταῦτα οὐχ ὕβρις ὑμῖν δοκεῖ, καὶ παρǫινία, καὶ γέλως; ἀκούσατε δ᾽ οὖν καὶ ἄλλȣς. ΖΕΥΣ. Μηδὲν, ὦ Μῶμε, εἴπῃς, μήτε περὶ Ἀσκληπιοῦ, μήτε περὶ Ἡǫακλέȣς· ὁǫῶ γὰρ, οἷ φέρῃ τ͂ λόγῳ· οὗτο γὰρ, ὃ μὲν αὐτῶν ἰᾶται, ϗ ἀνίςησιν ἐκ τῶν νόσων, καὶ ἐςι

——πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

ὁ δ᾽ Ἡρακλῆς, υἱὸς ὢν ἐμὸς, οὐκ ὀλίγων πόνων ἐπǫίατο τὴν ἀθανασίαν, ὥςε μὴ καληγόǫει αὐτῶν. ΜΩΜ. Σιωπήσομαι διὰ σὲ, ὦ Ζεῦ, πολλὰ εἰπεῖν ἔχων· καίτοι εἰ μηδὲν ἄλλο, ἔτι τὰ [2] σημεῖα ἔχȣσι τοῦ πυǫός. Εἰ δὲ ἐξῆ ϗ πρὸς αὐτόν σὲ τῇ λαῤῥησίᾳ χρῆθαι, πολλὰ ἂν εἶχον εἰπεῖν. ΖΕΥΣ. Καὶ μὴν πρὸς ἐμὲ ἔξεςι μάλιςα. Μῶν δ᾽ οὖν κἀμὲ ξενίας διώκεις; ΜΩΜ. [3] Ἐν Κρήτῃ μὲν οὐ μόνον τοῦτο ἀκοῦσαί ἐςιν, ἀλλὰ ϗ ἄλλο

De coronâ autem ejus vid. Ovid. Met. lib. 8. quin & meminit Hor. Carm. lib. 2. Od. 19.

——— *Beatæ Conjugis additum*

Stellis Honorem ———

[1] Τὴν δὲ Ἰκαρίȣ, &c.] Erigonem, quæ ex dolore paternæ necis, quem rustici inebriati occiderant, sibi necem conscivit, Deorumque miseratione in cœlum translata Virginis nomen obtinuit. Vid. Hygin. & Apoll. lib. 3. De Cane autem ejus mentionem facit Ov. Fast. lib. 5.

Nocte sequente diem canis Erigoneïus *exit*.

[2] Σημεῖα ἔχȣσι τȣ͂ πυρός.] Vid. Dial. inter Jovem, Æsculapium, & Herculem.

[3] Ἐν Κρήτῃ μὲν, &c.] Unde Callimachus in Hymno suo in Jovem, v. 8.

Κρῆτες

ἄλλό τι περὶ σοῦ λέγουσι, καὶ τάφον ἐπιδεικνύουσιν· Ἐγὼ δὲ οὔτε ἐκείνοις πείθομαι, [1] οὔτε Ἀχαιῶν Αἰγιεῦσιν, ὑποβολιμαῖόν σε εἶναι φάσκουσιν· ἃ δὲ μάλιστα ἐλεγχθῆναι δεῖν ἡγοῦμαι, ταῦτα ἐρῶ. Τὴν γάρ τοι ἀρχὴν τῶν τοιούτων παρανομημάτων, καὶ τὴν αἰτίαν τοῦ νοθευθῆναι ἡμῶν, τὸ ξυνέδριον, σὺ, ὦ Ζεῦ, παρέσχες, θνηταῖς ἐπιμιγνύμενος, καὶ κατιὼν παρ' αὐτὰς [2] ἐν ἄλλοτε ἄλλῳ σχήματι ὥστε ἡμᾶς δεδιέναι, μή σε καταθύσῃ τις ξυλλαβὼν ὁπότ' ἂν ταῦρος ἦς, ἢ τῶν χρυσοχόων τις κατεργάσηται χρυσὸν ὄντα, καὶ ἀντὶ Διὸς, ἢ ὅρμος, ἢ ψέλλιον, ἢ ἐλλόβιον ἡμῖν γένῃ. πλὴν ἀλλὰ ἐμπέπληκάς γε τὸν οὐρανὸν τῶν ἡμιθέων τούτων· οὐ γὰρ ἂν ἄλλως εἴποιμι. Καὶ τὸ πρᾶγμα γελοιότατόν ἐστιν, ὁπότ' ἄν τις ἄφνω ἀκούσῃ, ὅτι ὁ Ἡρακλῆς μὲν Θεὸς ἀπεδείχθη, ὁ δὲ Εὐρυσθεὺς, ὃς ἐπέταττεν αὐτῷ τέθνηκε· [3] καὶ πλησίον Ἡρακλέους νεὼς, οἰκέτου ὄντος, καὶ Εὐρυσθέως τάφος, τοῦ δεσπότου αὐτοῦ. Καὶ πάλιν ἐν Θήβαις, Διόνυσος μὲν Θεός· οἱ δ' ἀνέψιοι αὐτοῦ, ὁ Πενθεὺς, καὶ ὁ Ἀκταίων, καὶ ὁ [4] Λέαρχος, ἀνθρώπων ἁπάντων κακοδαιμονέστατοι. Ἀφ' οὗ δὲ ἅπαξ σὺ, ὦ Ζεῦ, ἀνέῳξας τοῖς τοιούτοις τὰς θύρας, καὶ ἐπὶ τὰς θνητὰς ἐτράπου, ἅπαντες μεμίμηνταί σε, καὶ οὐχὶ ἄρρενες μόνον, ἀλλ' ὅπερ αἴσχιστον, καὶ αἱ θήλειαι θεαί·

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται· καὶ γὰρ τάφον, ὦ ἄνα, σεῖο
Κρῆτες ἐτεκτήναντο· σὺ δ' οὐ θάνες, ἐσσὶ γὰρ αἰεί.

1 Οὔτε Ἀχαιῶν Αἰγιεῦσιν] Ægium Achaiæ oppidum.

2 Ἄλλοτε ἐν ἄλλῳ σχήματι]
Ζεὺς, Κύκνος, Ταῦρος, Σάτυρος, Χρυσὸς, δι' ἔρωτα
Λήδης, Εὐρώπης, Αντιόπης, Δανάης.

3 Καὶ πλησίον, &c.] In Sicyoniâ templum Herculi fuit. Vid. Natal. Com. lib. 7. Eurystheus vero sepultus erat in Gargetto. Vid. Strab. Geog. lib. 8.

4 Λέαρχος, &c.] De Learcho vid. p. 6. not. 2. Penthei autem & Actæonis bene notas historias non est cur memorem.

[1] Τίς γὰρ οὐκ οἶδε τὸν Αγχίσην, καὶ τὸν Τιθωνὸν, καὶ τὸν Ενδυμίωνα, καὶ τὸν Ιασίωνα, καὶ τοὺς ἄλλους; ὥστε ταῦτα μὲν ἐάσειν μοι δοκῶ· μακρὸν γὰρ ἂν τὸ διελέγχειν γένοιτο. ΖΕΥΣ. [2] Μηδὲν περὶ τοῦ Γανυμήδους, ὦ Μῶμε, εἴπῃς· χαλεπανῶ γὰρ εἰ λυπήσεις τὸ μειράκιον, ὀνειδίσας ἐς τὸ γένος. ΜΩΜ. Οὐκοῦν μηδὲ περὶ τοῦ ἀετοῦ εἴπω, ὅτι καὶ οὗτος ἐν τῷ οὐρανῷ ἐστιν, ἐπὶ τοῦ βασιλείου σκήπτρου καθεζόμενος, καὶ μονονουχὶ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν σου νεοττεύων, Θεὸς εἶναι δοκῶν; ἢ καὶ τοῦτον τοῦ Γανυμήδους ἕνεκα ἐάσομεν; ἀλλ' ὁ [3] Αττις γε, ὦ Ζεῦ, καὶ ὁ Κορύβας, καὶ ὁ Σαβάζιος, πόθεν ἡμῖν ἐπεισεκεκλήθησαν οὗτοι; ἢ ὁ Μίθρης ἐκεῖνος, ὁ Μῆδος, ὁ τὸν κάνδυν, καὶ τὴν τιάραν, οὐδὲ ἑλληνίζων τῇ φωνῇ· ὥστε οὐδ', ἢν προπίῃ τις, ξυνίησι. Τοιγαροῦν οἱ Σκύθαι, καὶ οἱ Γέται, ταῦτα ὁρῶντες αὐτῶν, μακρὰ ἡμῖν χαί-

[1] Τίς γὰρ οὐκ οἶδε τὸν Αγχίσην, &c.] Allusum est ad Venerem, Auroram, Lunam, & Cererem, quæ cum his consuetudinem habuerunt. Observatum enim dedit Palmerius, Ιασίωνα, legendum esse, non Ιάσωνα, (quod omnes, quos vidi, Codices præ se ferunt) Iasion enim ob Cereris amores à Jove Zelotypo fulminatus est.

[2] Μηδὲν περὶ τοῦ Γανυμήδους, &c.] De Ganymede ab aquilâ rapto, vid. Nat. Com. lib. 9. & Hom. Il. ύ. v. 231.

Τρωὸς δ' αὖ τρεῖς παῖδες ἀμύμονες ἐξεγένοντο,
Ιλός τ' Ασσάρακός τε, καὶ ἀντίθεος Γανυμήδης,
Ος δὴ κάλλιστος γένετο θνητῶν ἀνθρώπων.
Τὸν καὶ ἀνηρείψαντο Θεοὶ Διὶ οἰνοχοεύειν
Κάλλεος εἵνεκα οἷο, ἵν' ἀθανάτοισι μετείη.

[3] Αττις, &c.] Αττις Φρύγιος Θεὸς, Μίθρης δὲ Περσικὸς. Ο μὲν Μίθρης ὁ αὐτὸς τῷ Ηφαίστῳ, ἄλλοι δὲ τῷ Ηλίῳ φασίν· τὸν Αττιν δὲ Φρύγες σέβοντα, τὸν αὐτὸν ὄντα τῷ Διονύσῳ. Vid. Scholiast. in Luciani Δία τραγῳδόν. Corybas autem erat Jasonis & Cybeles F. quem Diodorus Siculis lib. 6. asserit sacra matris Deûm in Phrygiam detulisse, eosque qui illius Deæ sacrificiis incubuerunt, de suo nomine Corybantas appellâsse. Sabazium autem alii Bacchi filium fuisse, alii Bacchum ipsum, alii alium Dæmonem, inquiunt. Vid. Nat. Com. lib. 5.

-ρειν εἰπόντες, αὐτοὶ ἀπαθανατίζουσι, καὶ θεοὺς χειροτονοῦσιν οὓς ἂν ἐθελήσωσι; τὸν αὐτὸν τρόπον, ὅνπερ καὶ [1] Ζάμολξις, δοῦλος ἄν, παρενεγράφη, οὐκ οἶδ᾽ ὅπως διαλαθών. Καίτοι ταῦτα πάντα, ὦ Θεοὶ, μέτρια. Σὺ δὲ, [2] ὦ κυνοπρόσωπε, καὶ σινδόσιν ἐσταλμένε Αἰγύπτιε, τίς εἶ, ὦ βέλτιστε, ἢ πῶς ἀξιοῖς Θεὸς εἶναι ὑλακτῶν; τί δὲ βουλόμενος καὶ [3] ὁ Μεμφίτης οὗτος ταῦρος, ὁ ποικίλος, προσκυνεῖται, καὶ χρᾷ, καὶ προφήτας ἔχει; αἰσχύνομαι δὲ [4] ἴβιδας καὶ πιθήκους εἰπεῖν, καὶ τράγους, καὶ ἄλλα πολλῷ γελοιότερα, οὐκ οἶδ᾽ ὅπως, ἐξ Αἰγύπτου παραβυσθέντα ἐς τὸν οὐρανόν· ἃ ὑμεῖς, ὦ Θεοὶ, πῶς ἀνέχεσθε ὁρῶντες ἐπίσης, ἢ καὶ μᾶλλον ὑμῶν προσκυνούμενα; ἢ σὺ, ὦ Ζεῦ, πῶς φέρεις, [5] ἐπειδὰν κριοῦ κέρατα φύσωσί σοι; ΖΕΥΣ. Αἰσχρὰ ὡς ἀληθῶς ταῦτα φὴς τὰ περὶ τῶν Αἰγυπτίων· ὅμως δ᾽ οὖν, ὦ

[1] Ζάμολξις, δοῦλος, &c.] Zamolxis, cui Getæ sacra faciunt, pro Saturno eum habentes, Pythagoræ servus fuit. Vid. Herod. Melpom. & Diog. Laert. lib. 7.

[2] Ω κυνοπρόσωπε] Anubis, Deus canino capite, apud Ægyptios cultus. Vid. Plut. de Isid. & Osiride, & Diod. Sic lib. 1.

[3] Ο Μεμφίτης οὗτος ταῦρος] Apis seu Osiris sub bovis imagine ab Ægyptiis cultus,

Et comes in pompâ corniger Apis erat. Ov. Amor. 2. 13.
——Atque suum pubes miratur Osirim
Barbara, Memphitem plangere docta Bovem. Tib. lib. 1. El. 1.

Memphites autem dictus est, a Memphi Urbe Ægypti, ubi colebatur. Vid. Diod. Sic. lib. 1.

[4] Ιβιδας, &c.] Ibis est avis, quæ serpentibus, qui Ægyptum infestam habent, exitio est, ideoque divinos sortita est honores. Vid. Diod. Sic. lib. 1. ubi & de cæteris videre est.

[5] Επειδὰν κριοῦ κέρατα, &c.] Jupiter Ammonius, quem divinatorem appellabant, in Lybiâ sub arietis formâ colebatur, ut in his declaravit Phœstus ille, qui res Macedonicas conscripsit:

Ζεῦ Λιβύης Ἄμμων κερατηφόρε κέκλυθι μάντι. Vid. Nat. Com. lib. 2.

Μῶμε,

Μῶμε, τὰ πολλὰ αὐτῶν αἰνίγματά ἐστι, καὶ οὐ πάνυ χρὴ καταγελᾷν ἀμύητον ὄντα. ΜΩΜ. Πάνυ γοῦν μυστηρίων, ὦ Ζεῦ, δεῖ ἡμῖν, ὡς εἰδέναι Θεοὺς μὲν τοὺς Θεοὺς, κυνοκεφάλους δὲ τοὺς κυνοκεφάλους. ΖΕΥΣ. Εα, φημὶ, τὰ περὶ τῶν Αἰγυπτίων, ἄλλοτε γὰρ περὶ τούτων ἐπισκεψόμεθα ἐπὶ σχολῆς· σὺ δὲ τοὺς ἄλλους λέγε. ΜΩΜ. [1] Τὸν Τροφώνιον, ὦ Ζεῦ, καὶ, ὃ μάλιστά με ἀποπνίγει, τὸν Αμφίλοχον· ὃς ἐναγοῦς ἀνθρώπου, καὶ [2] μητραλοίου υἱὸς ὢν, θεσπιῳδεῖ ὁ γενναῖος ἐν Κιλικίᾳ, ψευδόμενος τὰ πολλὰ, καὶ γοητεύων τοῖν δυοῖν ὀβολοῖν ἕνεκα· τοιγαροῦν οὐκ ἔτι σὺ, ὦ Απολλον, εὐδοκιμεῖς, ἀλλὰ ἤδη πᾶς λίθος, καὶ πᾶς βωμὸς χρησμῳδεῖ, ὃς ἂν ἐλαίῳ περιχυθῇ, καὶ στεφάνους ἔχῃ, καὶ γόητος ἀνδρὸς εὐπορήσῃ, οἷοι πολλοί εἰσιν. Ηδη καὶ ὁ Πολυδάμαντος τοῦ ἀθλητοῦ ἀνδριὰς ἰᾶται τοὺς πυρέττοντας ἐν Ολυμπίᾳ, [3] καὶ ὁ Θεαγένους ἐν Θάσῳ· καὶ

[1] Τὸν Τροφώνιον, &c.] De Trophonio & Amphilocho, Vid p. 19. n. 2.

[2] Μητραλοίου υἱὸς ὢν] Non filius erat Matricidæ, sed frater, teste Apollodoro; Alcmæonem enim intelligit. Ad hunc autem modum se habet Historia——Amphiaraus latens, ne ad bellum Thebanum, ubi se moriturum sciebat, proficisci cogeretur, ab uxore suâ Eriphyle, aureo monili corruptâ, prodebatur: Quam uxoris perfidiam ægrè ferens Amphiaraus, filiis in mandatis reliquit, ut matrem interficerent: quod Alcmæon effectum dedit. Vid. Apollod. lib. 3. & Hom. Od. 6. v. 244. quin & meminit Horatius lib. 3. Od. 10.

——————Concedit Auguris
Argivi domus ob lucrum
Demersa excidio——————

[3] Καὶ ὁ Θεαγένους, &c.] Vid. Pausaniam, qui in libro 6. de rebus Eliacis loquens, *Passim,* inquit, *tum apud Græcos tum Barbaros scio simulachra Theageni esse dedicata; eumque & morbos medicari, & ab indigenis coli.* Polydamantis autem statuæ in eodem libro memoratæ nihil id genus attribuit.

Ἕκτορι θύουσιν ἐν Ἰλίῳ, [1] καὶ Πρωτεσιλάῳ καταντικρὺ ἐν Χερρονήσῳ. Ἀφ' οὗ δ' οὖν τοσοῦτοι γεγόναμεν, ἐπιδέδωκε μᾶλλον ἡ ἐπιορκία, καὶ ἱεροσυλία, καὶ ὅλως καταπεφρονήκασιν ἡμῶν [2] εὖ ποιοῦντες. Καὶ ταῦτα μὲν περὶ τῶν νόθων, καὶ παρεγγράπτων· ἐγὼ δὲ καὶ ξένα ὀνόματα πολλὰ ἤδη ἀκούων οὔτε ὄντων τινῶν παρ' ἡμῖν, οὔτε συστῆναι ὅλως δυναμένων, πάνυ, ὦ Ζεῦ, καὶ ἐπὶ τούτοις γελῶ. Ἢ ποῦ γάρ ἐστιν ἡ πολυθρύλλητος Ἀρετὴ, καὶ Φύσις, καὶ Εἱμαρμένη, καὶ Τύχη, ἀνυπόστατα καὶ κενὰ πραγμάτων ὀνόματα, ὑπὸ βλακῶν ἀνθρώπων τῶν φιλοσόφων ἐπινοηθέντα; καὶ ὅμως αὐτοσχέδια ὄντα, οὕτω τοὺς ἀνοήτους πέπεικεν, ὥστε οὐδεὶς ἡμῖν οὐδὲ θύειν βούλεται, εἰδὼς ὅτι κἂν μυρίας ἑκατόμβας παραστήσῃ, ὅμως τὴν Τύχην πράξουσαν τὰ μεμοιραμένα, καὶ ἃ ἐξ ἀρχῆς ἑκάστῳ ἐπεκλώσθη· ἡδέως ἂν οὖν ἐροίμην σε, ὦ Ζεῦ, εἴ που εἶδες ἢ Ἀρετὴν, ἢ Φύσιν, ἢ Εἱμαρμένην; ὅτι μὲν γὰρ καὶ σὺ ἀκούεις ἐν ταῖς τῶν φιλοσόφων διατριβαῖς, οἶδα, εἰ μὴ καὶ κωφός τις εἶ, ὡς βοώντων αὐτῶν μὴ ἐπαΐειν· πολλὰ ἔτι ἔχων εἰπεῖν, καταπαύσω τὸν λόγον· ὁρῶ γοῦν τοὺς πολλοὺς ἀχθομένους μοι λέγοντι, καὶ συρίττοντας· ἐκείνους μάλιστα, ὧν καθήψατο ἡ παρρησία τῶν λόγων· πέρας γοῦν, εἰ ἐθέλεις, ὦ Ζεῦ, ψήφισμά τι περὶ τούτων ἀναγνώσομαι ἤδη ξυγγεγραμ-

[1] Καὶ Πρωτεσιλάῳ, &c.] Protesilaus templum habuit in Thraciâ Cherroneso. Vid. Herod. Polym. & Strab. Geogr. lib. 13.

[2] Εὖ ποιοῦντες] Participium τοῦ ποιῶ, cujuscunque temporis fuerit, cum εὖ vel καλῶς conjunctum, *jure* vel *merito* significat, idque vel continuatâ oratione, vel nonnihil etiam disjunctâ: ut καλῶς δὴ ποιῶν αὐτῷ συγγνώμην ἂν ἔχοις τοῦ παρὰ γνώμην ἡμαρτημένου, *merito sanè peccati præter voluntatem admissi veniam ei dederis.*——τἀνδρὸς φιλίαν ἀντὶ πάντων εἵλοντο τῶν χρημάτων, καὶ μάλα γε καλῶς ποιήσαντες, *hominis amicitiam divitiis omnibus potiorem habuerunt, & meritò quidem.* Vid. Vigerum.

μένον

μένον. ΖΕΥΣ. Ἀνάγνωθι. Οὐ πάντα γὰρ ἀλόγως ᾐτιάσω· καὶ δεῖ τὰ πολλὰ αὐτῶν ἐπισχεῖν, ὡς μὴ ἐπιπλεῖον ἂν γίγνηται.

ΨΗΦΙΣΜΑ.

ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ.

ΕΚΚΛΗΣΙΑΣ ἐννόμου ἀγομένης, ἑβδόμῃ ἱσταμένου, ὁ Ζεὺς [1] ἐπρυτάνευε, καὶ προήδρευε Ποσειδῶν, ἐπεστάτει Ἀπόλλων, [2] ἐγραμμάτευε Μῶμος τῆς Νυκτὸς, καὶ ὁ Ὕπνος τὴν γνώμην εἶπεν. Ἐπειδὴ πολλοὶ τῶν ξένων, οὐ μόνον Ἕλληνες, ἀλλὰ καὶ βάρβαροι, οὐδαμῶς ἄξιοι ὄντες κοινωνεῖν ἡμῖν τῆς πολιτείας, παρεγγραφέντες οὐκ οἶδ' ὅπως, καὶ Θεοὶ δόξαντες, ἐμπεπλήκασι μὲν τὸν οὐρανὸν, ὡς μεστὸν εἶναι τὸ συμπόσιον ὄχλου ταραχώδους πολυγλώσσων τινῶν, καὶ ξυγκλύδων, ἐπιλέλοιπε δὲ ἡ ἀμβροσία, καὶ τὸ νέκταρ,

[1] Ἐπρυτάνευε, &c.] De hisce Magistratibus apud Athenienses, Vide Potter's Archæologiam Græcam, lib. 1. cap. 17.

[2] Ἐγραμμάτευε Μῶμος τῆς Νυκτός.] Hic Luciani mentem non satis assecuti sunt interpretes: reddunt enim, *Noctu Momus scribam agebat.* At Luciano nihil minus in animo erat: Atheniensium enim Concilia, ad quorum exemplum hoc conscriptum est, die, non nocte, habita fuerunt. Hoc loco igitur τῆς Νυκτὸς *Filius Noctis* significat. Hesiodus enim in Theogon.

Νὺξ δ' ἔτεκε στυγερόν τε Μόρον, καὶ Κῆρα μέλαιναν,
Καὶ Θάνατον· τέκε δ' Ὕπνον. ἔτικτε δὲ φῦλον Ὀνείρων·
Οὔ τινι κοιμηθεῖσα θεὰ τέκε Νὺξ ἐρεβεννή.
Δεύτερον αὖ Μῶμον, καὶ Οἰζὺν ἀλγινόεσσαν——————quod

ad articuli suppressionem attinet, id nihil contra me facit; Demosthenes enim in orat. pro Coronâ, Κτησιφῶν Λεωσθένους habet, & paulo post Δημοσθένης Δημοσθένους, *Demosthenes Demosthenis Filius.*

ὥςε μνᾶς ἤδη τὴν κοτύλην εἶναι, διὰ τὸ πλῆθος τῶν πινόντων· οἱ δὲ ὑπὸ αὐθαδίας παρωσάμενοι τοὺς παλαιούς τε, καὶ ἀληθεῖς Θεοὺς προεδρίας ἠξιώκασιν ἑαυτοὺς παρὰ πάντα τὰ πάτρια, καὶ ἐν τῇ γῇ προτιμᾶσθαι θέλουσι. Δεδόχθω τῇ βουλῇ, καὶ τῷ δήμῳ ξυλλεγῆναι μὲν ἐκκλησίαν ἐν τῷ Ὀλύμπῳ περὶ τροπὰς χειμερινὰς, ἑλέσθαι δὲ ἐπιγνώμονας τελείους Θεοὺς ἑπτὰ, τρεῖς μὲν, ἐκ τῆς παλαιᾶς βουλῆς τῆς ἐπὶ Κρόνου, τέτταρας δὲ ἐκ τῶν δώδεκα, καὶ ἐν αὐτοῖς τὸν Δία. Τούτους δὲ τοὺς ἐπιγνώμονας, αὐτοὺς μὲν καθέζεσθαι ὀμόσαντας τὸν νόμιμον ὅρκον, τὴν Στύγα· τὸν Ἑρμῆν δὲ, κηρύξαντα ξυναγαγεῖν ἅπαντας, ὅσοι ἀξιοῦσι ξυντελεῖν εἰς τὸ συνέδριον· τοὺς δὲ ἥκειν μάρτυρας ἐπαγομένους ἐνωμότους, καὶ ἀποδείξεις τοῦ γένους. Τοὐντεῦθεν δὲ, οἱ μὲν παρίτωσαν καθ᾽ ἕνα, οἱ δὲ ἐπιγνώμονες ἐξετάζοντες, ἢ Θεοὺς εἶναι ἀποφανοῦνται, ἢ καταπέμψουσιν ἐπὶ τὰ σφέτερα ἠρία, καὶ τὰς θήκας τὰς προγονικάς· ἢν δέ τις ἁλῷ τῶν ἀδοκίμων, καὶ ἅπαξ ὑπὸ τῶν ἐπιγνωμόνων ἐκκριθέντων, ἐπιβαίνων τοῦ οὐρανοῦ, ἐς τὸν τάρταρον ἐμπεσεῖν τοῦτον· ἐργάζεσθαι δὲ τὰ αὐτοῦ ἕκαςον· καὶ μήτε τὴν Ἀθηνᾶν ἰᾶσθαι, μήτε τὸν Ἀσκληπιὸν χρησμῳδεῖν, μήτε τὸν Ἀπόλλω τοσαῦτα μόνον ποιεῖν, ἀλλ᾽, ἕν τι ἐπιλεξάμενον, μάντιν, ἢ κιθαρῳδὸν, ἢ ἰατρὸν εἶναι· τοῖς δὲ φιλοσόφοις προειπεῖν, μὴ ἀναπλάττειν καινὰ ὀνόματα, μηδὲ ληρεῖν περὶ ὧν οὐκ ἴσασιν· ὁπόσοι δὲ ἤδη ναῶν ἢ θυσιῶν ἠξιώθησαν, ἐκείνων μὲν καθαιρεθῆναι τὰ ἀγάλματα, ἐντεθῆναι δὲ ἢ Διὸς, ἢ Ἥρας, ἢ Ἀπόλλωνος, ἢ τῶν ἄλλων τινός. Ἐκείνοις δὲ τάφον χῶσαι τὴν πόλιν, καὶ ςήλην ἐπιςῆσαι ἀντὶ βωμοῦ. Ἢν δέ τις παρακούσῃ τοῦ κηρύγματος, καὶ μὴ ἐθελήσῃ ἐπὶ τοὺς ἐπιγνώμονας ἐλθεῖν, [1] ἐρήμην αὐτοῦ

[1] Ἐρήμην αὐτοῦ, &c.] Subaud. δίκην.

κατα-

καταδιαιτησάντων. ΖΕΥΣ. Τοῦτο μὲν ἡμῖν τὸ ψήφισμα δικαιότατον, ὦ Μῶμε, καὶ ὅτῳ δοκεῖ, ἀνατεινάτω τὴν χεῖρα· μᾶλλον δὲ οὕτω γιγνέσθω· πλείους γὰρ οἶδ' ὅτι ἔσονται, οἱ μὴ χειροτονήσοντες. Αλλὰ νῦν μὲν ἄπιτε· ὁπόταν δὲ κηρύξῃ ὁ Ερμῆς, ἥκετε, κομίζοντες ἕκαστος ἐναργῆ τὰ γνωρίσματα, καὶ σαφεῖς τὰς ἀποδείξεις, πατρὸς ὄνομα, καὶ μητρὸς, καὶ ὅθεν, καὶ ὅπως Θεὸς ἐγένετο, καὶ φυλὴν, καὶ φράτορας. Ως ὅστις ἂν μὴ παράσχηται, οὐδὲν μελήσει τοῖς ἐπιγνώμοσιν, ει νεὼν τις μέγαν ἐπὶ γῆς ἔχει, καὶ εἰ οἱ ἄνθρωποι Θεὸν αὐτὸν εἶναι νομίζουσιν.

DIALOGI MARINI.

CYCLOPIS ET NEPTUNI.

CYCLOPS.

O Pater, qualia passus sum ab execrabili illo hospite, qui me, postquam inebriâsset, excæcavit, somno gravatum aggressus! Nep. Quis verò *est*, qui hæc ausus fuit, Polypheme? Cyc. Principio quidem se Neminem vocabat; sed postquam effugerat, & extra teli, jactum erat, Ulyssem nominari se aiebat. Nep. Novi quem dicis, Ithacensem illum: ex Ilio autem renavigabat. Sed quo pacto hæc fecit, cùm animosus admodum non sit? Cyc. Deprehendi in antro è pascuis reversus multos, insidiantes videlicet pecuariis. Posteaquam enim foribus apposueram operculum, (saxum autem mihi est perquam magnum) atque ignem, accensâ, quam ex monte detuleram, arbore, suscitaveram, apparuerunt, conantes sese abscondere. Ego verò comprehensos ex ipsis aliquos, ut par erat, devoravi, utpote qui prædones essent. Hîc versutissimus ille, sive Nemo, sive Ulysses erat, pharmacum quoddam infusum dat mihi bibendum, dulce quidem & fragrans, sed quàm maximè insidiosum, & turbulentissimum. Mihi enim, *illud* cum bibissem, statim omnia circumagi videbantur, & antrum ipsum invertebatur: nec ampliùs omnino apud me eram.

Postremò

Postremò somno correptus sum. Ille verò ex acuto vecte, eoque igne succenso, me dormientem insuper excæcavit; & ex illo tempore cæcus sum, Neptune. NEP. Quàm altè dormivisti, fili, qui non exilieris interim dum excæcareris! Ulysses verò ille quo pacto effugit? Non enim, sat scio, saxum à foribus dimovere potuit. CYC. At ego amovi, quo facilius illum comprehenderem inter egrediendum: ac collocato meipso ad fores, extentis manibus venabar, solis dimissis in pascua ovibus, cum arieti mandâssem, quæcunque pro me ipsum agere oporteret. NEP. Intelligo eum sub illis sese clam te subduxisse. At cæteros certè Cyclopas oportebat te contra ipsum invocare. CYC. Convocavi illos, pater, & venerunt. Sed cùm *me* illius insidiatoris nomen interrogâssent, eumque dicerem esse Neminem, insanire me arbitrati, discesserunt. Ita me execrabilis ille nomine decepit. Et quod *omnium* maximè mihi doluit, contumeliosè objectâ mihi hâc calamitate, ne pater quidem Neptunus, inquit, te sanabit. NEP. Confide fili, ulciscar enim ipsum: ut discat, etiamsi oculorum cæcitatem mederi non queam, navigantes certè tamen *quod attinet*, salutem eorum & exitium penes me esse. Navigat autem adhuc.

MENELAI ET PROTEI.

MENELAUS.

AT aquam te fieri, Proteu, incredibile non est, cùm sis marinus: quin & arborem *fieri*, tolerabile *est*: in leonem etiam aliquando muteris

muteris licet, tamen neque hoc ſupra fidem eſt: *te* autem, qui in mari habitas, etiam ignem fieri poſſibile eſſe, hoc omnino miror, neque fidem habeo. PROT. Ne mireris, Menelaë: fieri enim ſoleo. MEN. Vide & ipſe. Sed vidêris mihi (dicam enim apud te) præſtigias quaſdam adhibere rei, atque intuentium oculos decipere, cùm tale nihil fias. PROT. Ecqua deceptio in tam manifeſtis rebus fieri queat? Annon apertis oculis vidiſti in quàm multa ipſe me transformaverim? Quod ſi non credis, & falſa res eſſe videtur, ſcilicet ſpecies quædam inanis ob oculos verſans, quum ignis factus fuero, admove mihi, ô generoſiſſime, manum: Senties enim num videar tantùm *ignis*, an & urendi facultas tunc mihi adſit. MEN. Hoc periculoſum eſt experimentum, Proteu. PROT. At tu, Menelaë, videris mihi neque polypum vidiſſe unquam, nec, quid facere ſoleat hic piſcis, ſcire. MEN. At polypum vidi, quæ verò faciat, libenter ex te cognoverim. PROT. Cuicunque ſaxo acceſſerit, & acetabula ſua applicuerit, cirramentiſque affixus adhæſerit, illi ſeipſum ſimilem efficit, mutatque colorem, imitando ſaxum, quò lateat piſcatores, nihil varians, neque ob hoc manifeſtè apparens, ſed *omnino* ſaxum referens. MEN. Ferunt hæc: ſed hoc tuum eſt multò incredibilius, Proteu. PROT. Neſcio, Menelaë, cuinam alteri credas, cùm tuis oculis non credas. MEN. Apprimè vidi: ſed tamen monſtroſa res eſt, eundem ignem atque aquam fieri.

NEPTUNI ET DELPHINUM.

NEPTUNUS.

RECTE facitis, Delphines, quod ſemper hominum amantes eſtis: nam & olim Inûs filium in Iſthmum portâſtis, exceptum à Scironiis ſcopulis, cum matre præcipitatum: Et tu nunc aſſumpto Methymnæo citharœdo iſto, in Tænarum *cum* ipſo ornatu, & citharâ enatâſti, neque *illum* à nautis miſerè perdi paſſus es. DEL. Ne mireris, Neptune, nos hominibus benefacere, cum ex hominibus piſces ipſi facti ſimus. NEPT. Atque equidem Bacchum reprehendo, quòd vos navali prælio ſuperatos *ita* transformavit, cùm debuiſſet ſolùm in poteſtatem redigere, quemadmodum alios in poteſtatem redegit. Sed quo pacto, quod huic Arioni accidit, ſeſe habet, Delphin? DEL. Periander, opinor, delectabatur ipſo, & eum artis gratiâ ſæpe accerſebat. Ille autem à tyranno ditatus, domum in Methymnam navigare, & divitias ſuas oſtentare concupivit. Ac conſcenſo ſceleratorum quorundam hominum navigio, poſteàquam indicavit ſe multum auri & argenti ſecum ferre, ubi ad medium fermè Ægeum perventum fuit, inſidiari illi nautae cœperunt. Ille verò (auſcultabam enim omnia juxta navigium natando) quoniam hoc vobis ita viſum eſt, inquit, at me ſaltem aſſumpto ornatu, & decantato *priùs* mihi ipſi funebri aliquo carmine, volentem ſinite præcipitare meipſum. Conceſſerunt nautæ. Tum ille aſſumpſit ornatum, &

ſua-

ſuaviter admodum cecinit, atque in mare, tanquam ilicò moriturus, præcipitem ſe dedit. Ego verò excepto atque impoſito mihi illo, in Tænarum ſimul enatavi. NEPT. *Te propter tuum* erga muſicam ſtudium laudo: dignam enim auditæ *modulationis* mercedem ipſi retuliſti.

NEPTUNI ET NEREIDUM.

NEPTUNUS.

FRETUM hoc quidem anguſtum, in quod puella præcipitata eſt, Helleſpontus ab ipsâ vocetur. Cadaver autem vos, Nereides, acceptum in Troadem auferte, ut ab incolis ſepeliatur. NER. Nequaquam, Neptune; ſed hîc in pelago à ſe denominato ſepeliatur. Miſeremur enim ipſius, ut quæ maximè miſerabilia paſſa fuerit à novercâ. NEPT. At hoc, Amphitrite, fas non eſt; neque etiam alioquin honeſtum hîc illam alicubi ſub arenâ jacêre: ſed quod dixi, in Troade aut in Cherroneſo ſepelietur. Illud autem ſolatio non parvo ipſi erit, quòd paulò poſt eadem & Ino patietur, & perſequente illam Athamante, in pelagus ex ſummo Cithærone, quà in Mare porrigitur, filium etiam in ulnis geſtans præcipitabitur. NER. Sed & illam in Bacchi gratiam ſervare oportebit. Educavit enim illum Ino, & nutrix illius fuit. NEPT. Non decebit *illam ſervare*, cum ſit adeo parva; ſed tamen Baccho non gratificari indignum eſſet, Amphitrite. NER. Sed unde factum eſt, ut illa ab ariete deciderit, Phryxus autem frater ejus tutò vectus ſit? NEPT. Meritò: *Hic* enim adoleſcens eſt, & contra impe-

impetum obſiſtere poteſt: Illa verò propter inſolentiam *rei*, conſcenſo vehiculo inuſitato, & in vaſtum profundum deſpiciendò attónita, & pavore pariter correpta, præterea vertigine laborans propter volatûs impetum, retinere non potuit arietis cornua, quæ eouſque prehenderat, atque *ita* in mare decidit. NER. Annon matrem ipſius Nephelen opem ferre cadenti decebat? NEPT. Decebat: ſed Parca longè Nephele potentior eſt.

XANTHI ET MARIS.

XANTHUS.

SUSCIPE me gravia paſſum, ô Mare; mea vulnera extingue. MAR. Quid hoc rei eſt, ô Xanthe? Quis te deuſſit? XAN. Vulcanus. Sed prorſus exuſtus ſum miſer, & efferveſco. MAR. Cur autem tibi injecit ignem? XAN. Propter filium Thetidis: Poſtquam enim illum Phrygas occidentem ſupplex deprecatus ſum, ille autem nihil ab irâ remiſit, ſed cadaveribus obſtruxit mihi curſum aquarum, ego miſertus miſerorum eum aquis obruendi animo invaſi, quo perterritus à virorum cæde abſtineret. Ibi Vulcanus (nam tum propè aderat) univerſo igne, opinor, quantum habebat, quantúmque in Ætnâ, & ſicubi alibi *erat*, allato me invaſit, ac exuſſit quidem ulmos & myricas: aſſavit autem & infelices piſces & anguillas. Me verò cùm effervеſcere feciſſet, parum abfuit quin totum aridum reddiderit. Vidéſne igitur, quomodo ab his inuſtionibus affectus ſum? MAR. Turbidus & calidus es, Xan-

the, ut par est; sanguis quidem a cadaveribus *provenit*, calor autem, ut ais, ab igne. Ac meritò, Xanthe, ut qui contra filium meum impetum feceris, non veritus, quod filius esset Nereidis. XAN. Annon decebat *me* vicinorum Phrygum misereri? MAR. At verò Vulcanum non decebat Achillis filii Thetidis misereri?

JOVIS, ÆSCULAPII ET HERCULIS.

JUPITER.

DESINITE, ô Æsculapi & Hercules, inter vos rixari perinde ut homines; indecora enim hæc, & à convivio Deorum aliena. HERC. At vis, ô Jupiter, medicamentarium istum me priorem accumbere? ÆSC. Ita per Jovem; etenim sum melior. HERC. Quâ in re, ô attonite? an quia te Jupiter fulmine percussit, cùm faceres quæ nefas erat; nunc autem ex misericordiâ iterum immortalitas particeps factus es? ÆSC. Tu verò, Hercules, oblitus es te in Oetâ conflagrâsse, quandoquidem mihi ignem objicis? HERC. Nequaquam æqualia & similia sunt quæ in vitâ gessimus, ut qui ipse Jovis quidem sim filius, tantos autem labores vitam expurgans sustinuerim, & feras debellans, & de contumeliosis hominibus pœnas sumens: Tu verò radicum incisor es, & circulator, fortè quidem ægrotantibus hominibus adhibendo remedia utilis, virile autem nihil quicquam præstitisti. ÆSC. Rectè dicis, quoniam & tuas inustiones curavi, quando nuper ad nos semiustulatus ascendisti, corpore ab ambobus *hisce* corrupto, tunicâ scilicet,

ſcilicet, & deinde flammâ. Ego verò ſi etiam nihil aliud, tamen neque ſervivi, ut tu, neque purpuratus, & ab Omphale aureo ſandalio verberatus lanas in Lydiâ carpſi: neque inſaniens liberos & uxorem occidi. Herc. Niſi deſinas mihi conviciari, protinus ſenties tibi non multum profuturam immortalitatem: ſiquidem ſublatum te è cœlo in caput dejiciam; ut ne ipſe quidem Pæon te effracto cerebro curaverit. Jup. Deſinite, inquam, & ne nobis hunc cœtum perturbate, aut vos è convivio ambos ablegabo. Atqui, ô Hercules, æquum eſt ut te prior accumbat Æſculapius, quippe qui prior eſt mortuus.

MARTIS ET MERCURII.

MARS.

AUDISTIN', Mercuri, qualia nobis Jupiter ſit minatus, quàm ſuperba & incredibilia? Ego, inquit, ſi voluero, catenam ex cœlo demittam, unde ſi vos ſuſpenſi mè vi detrahere conemini, luſeritis operam; nunquam enim deorſum traxeritis: Contrà ego ſi velim *illam* in altum attrahere, non vos ſolùm, ſed & terram ſimul & mare appenſum in ſublime ſuſtulero. Ad hæc alia, quæ & tu audiviſti. Ego eum ſigillatim quidem omnibus præſtantiorem & robuſtiorem eſſe haud negaverim, ſed *unum* tam multis ſimul *ità* antecellere, ut eum degravare nequeamus, etiamſi terram & mare nobis adjunxerimus, non crediderim. Merc. Bona verba, Mars. Non enim talia dicere tutum eſt, ne quid fortè

te mali ex hâc petulantiâ capiamus. MARS. An verò credis apud quemlibet hæc dicturum me, non autem apud te solum, quem linguæ continentis esse novi? Quod igitur mihi maximè ridiculum videbatur, tum quum hæc minitantem audirem, apud te reticere non possum. Etenim memini non ita multò ante, cùm Neptunus, Juno & Minerva, motâ adversus eum seditione, molirentur comprehensum illum vincire, quantopere formidans in omnem speciem se verterit, idque cùm tres tantùm essent. Ac nisi Thetis miserata Briareum centimanum ad opem ipsius vocâsset, cum ipso fulmine & tonitru vinctus fuisset. Hæc reputanti mihi succurrebat ejus magniloquentiam ridere. MERC. Tace, bona verba. Neque enim tutum est ista hujusmodi vel tibi dicere, vel audire mihi.

DIOGENIS ET POLLUCIS.

DIOGENES.

DO tibi, Pollux, in mandatis, ut quumprimum *ad superos* ascenderis, (tuum enim est, ni fallor, die crastino reviviscere) sicubi Menippum canem videris, (invenies autem ipsum Corinthi in Craneo, aut in Lyceo, istos contendentes inter se Philosophos deridentem) dicas illi, Menippe, jubet te Diogenes, si satis ea, quæ in terris geruntur, derisisti, huc multò plura derisurus venias. Illic enim in ambiguo tibi adhuc est risus, & *in ore* frequens istud. Quisnam omnino novit quæ post vitam futura sunt? Hîc autem non desines constanter ridere, quemdmodum

ego nunc: & maximè cùm videris divites istos, ac satrapas, & tyrannos ita humiles & obscuros *esse*, solóque ejulatu *ab aliis* dignosci; quin & molles & ignavos esse, eorum, quæ apud superos *habuerunt*, reminiscentes. Hæc illi dicas; ac præterea ut perâ lupinis multis impletâ veniat: & sicubi positam in trivio Hecates cœnam, aut ovum ex lustratione *relictum*, aut tale quid invenerit. POLL. At hæc illi renunciabo, Diogenes. Sed quò meliùs illum agnoscere queam, cujusmodi est facie? DIOG. Senex est, calvaster, pallio indutus lacero, & vento cuivis pervio, & *diversorum* pannorum assumentis variegato: Ridet autem semper, ac Philosophos istos arrogantes multis verbis perstringit. POLL. Facile erit illum ex his *signis* invenire. DIOG. Visne ad illos etiam Philosophos aliquid mandem tibi? POLL. Mandes licet: neque enim hoc mihi grave fuerit. DIOG. In universum adhortare illos, ut desinant nugari, & de universo contendere, & cornua sibi mutuò affingere, & crocodilos facere: & hujusmodi inepta juvenes docere interrogare. POLL. At indoctum me & ineruditum esse dicent, qui doctrinam illorum reprehendam. DIOG. Tu verò meo nomine ipsos plorare jube. POLL. Et hæc nunciabo illis, Diogenes. DIOG. Divitibus autem, ô charissime Pollucule, nostro nomine hæc renuncia: Quid, ô vani, aurum custoditis; quid vos ipsos excruciatis, usuras supputando, & talenta talentis accumulando, quos unicum obolum habentes brevi *ad inferos* venire oportebit? POLL. Hæc etiam illis dicentur.

3 DIOG.

DIOG. Sed & formosis illis & robustis dicas, Megillo *puta* Corinthio, & Damoxeno palæstritæ, apud nos neque flavam comam, neque cæruleos nigrósve oculos, neque faciei ruborem ampliùs ullum esse: neque rigidos nervos, neque validos humeros: sed omnia unum, ut aiunt, pulverem, calvarias pulchritudine nudatas. POLL. Neque molestum erit & hæc dicere formosis illis, & robustis. DIOG. Pauperibus etiam, ô Lacon, (multi autem sunt, qui eam rem molestè ferunt, & inopiam lugent) dicas ut ne lachrymentur, neque ejulent, expositâ illis eâ, quæ hîc *est*, æqualitate; fore autem, ut videant eos qui fuerunt illic divites, nihilo se ipsis *hîc* esse meliores. Tuis verò Lacedæmoniis hæc, si videtur, nomine meo objicias, illos enervatos esse dictitans. POLL. Nihil, ô Diogenes, de Lacedæmoniis dicas: non enim profectò feram. Sed quæ ad cæteros mandâsti, ea illis renunciabo. DIOG. Hos missos faciamus, quando ita tibi videtur: tu verò quibus ante dixi, sermones meos deferas.

PLUTO, SEU CONTRA MENIPPUM.

CROESUS.

NON possumus ferre, Pluto, Menippum hunc canem prope habitantem; itaque aut illum alibi colloca, aut nos in alium locum commigrabimus. PLUT. Ecquid ille mali vobis facit, vobiscum pariter mortuus cùm sit? CR. Cum nos ploramus, & ingemiscimus, ea recordantes quæ apud superos *habuimus*, Midas iste

 aurum,

aurum, Sardanapalus multas delicias, ego thesauros, irridet, & probris incessit, nos mancipia & viles homines vocans. Interdum etiam cantando gemitus nostros conturbat: in summâ, est molestus. PL. Quid ista dicunt, Menippe? MEN. Vera, Pluto. Odi enim illos, ignavi ac perditi cum sint, quibus malè vixisse non satis fuit, sed & mortui adhuc meminerunt, & quæ sunt apud superos deamant. Delector itaque ægrè ipsis faciendo. PL. Sed non decet: rebus enim non exiguis privati dolent. MEN. Etiam tu deliras, Pluto, qui tuo calculo gemitus istorum approbas? PL. Nequaquam: sed nolim vos discordare. MEN. Atqui Lydorum, Phrygum, & Assyriorum pessimi, cognoscite me nunquam esse desiturum: nam quocunque iveritis, eôdem sequar, & ægrè faciam tum occinendo, tum deridendo vos. CR. Annon hæc sunt contumelia? MEN. Minimè: sed illa contumelia erant, quæ vos faciebatis, quum adorari vos dignos judicabatis, & liberos homines ludibrio habebatis, mortísque prorsus immemores eratis. Proinde omnibus illis privati *nunc* plorate. CR. Multis certè, ô Dii, magnisque possessionibus. MID. Quanto ego auro! SAR. Quantâ ego voluptate! MEN. Euge, sic facite: vos quidem lugete: ego verò *Nosce te ipsum* sæpius repetens vobis occinam: Id enim hujusmodi gemitibus accinere convenit.

ME-

MENIPPI, AMPHILOCHI, ET TROPHONII.

MENIPPUS.

At vos, Trophoni & Amphiloche, cùm sitis mortui, haud scio quonam modo fanis digni estis habiti, vatésque credimini, ac stulti mortales Deos esse vos arbitrantur. AMPH. Quid igitur? an nos sumus culpandi, quòd per inscitiam illi de mortuis talia opinentur? MEN. At opinati non fuissent, nisi & vos, quum viveritis, talia quædam portenta ostentassetis, tanquam futurorum præscii fuissetis, eáque percontantibus potuissetis prædicere. TROPH. Menippe, noverit Amphilochus hic, ipsi pro sese respondendum esse. At ego heros sum, & vaticinor, siquis ad me descenderit. Tu autem videris nunquam omnino Lebadiam adiisse; non enim hæc non crederes. MEN. Quid ais? nisi Lebadiam adivero, & linteis amictus, ridiculè offam manu gestans, per angustum aditum in specum irrepsero, te mortuum, ut & nos, esse scire nequeam, idque solâ imposturâ à *nobis* differentem? Sed age, per vaticinandi artem, quid est heros? etenim nescio. TROPH. Est quiddam ex homine & Deo compositum. MEN. Quod neque est homo, ut ais, neque Deus, sed utrumque simul. Ergo quo nunc divinum illud tui dimidium recessit? TROPH. Reddit oracula, Menippe, in Bœotia. MEN. Haud intelligo quid dicas, Trophoni; atqui te totùm mortuum esse planè video.

MERCURII ET CHARONTIS.

MERCURIUS.

SUPPUTEMUS, portitor, si videtur, quantum mihi debeas jam, ne de eo denuo litigemus. CH. Supputemus, Mercuri: melius enim est de eo statuere, & minoris negotii. MERC. Anchoram *tibi*, ut mandâras, attuli quinque drachmis *emptam*. CH. Magno dicis. MERC. Per Plutonem quinque emi illam, & lorum, quo remum alligares, obolis duobus. CH. Pone quinque drachmas, & duos obolos. MERC. Et acum ad *resarciendum* velum; quinque obolos ego exsolvi. CH. Etiam hos adde. MERC. Et ceram ad oblinendas navigii rimas, & clavos, & funiculum, unde hyperam fecisti, omnia hæc duabus drachmis *emi*. CH. Rectè sanè, hæc justo precio emisti. MERC. Hæc sunt, nisi quid aliud inter computandum me latuerit. Quando autem hæc te redditurum promittis? CH. Nunc quidem, Mercuri, non possum; sed si pestis aliqua, aut bellum frequentes aliquos huc demiserit, licebit tunc lucrari aliquid in tanto numero falsò portoria supputando. MERC. Proinde ego nunc sedebo, & pessima quæque ut eveniant precabor, ut inde fructum aliquem capiam. CH. Fieri aliter non potest, Mercuri. Nam pauci nunc, ut vides, ad nos descendunt: Pax enim est. MERC. Satius est ita esse, etiamsi nobis à te debiti solutio prorogetur. Verùm enimverò prisci illi, Charon, nôsti quales advenerint, fortes omnes, sanguine pleni, & sau-

cii plerique: nunc verò aut veneno aliquis à filio interfectus, aut ab uxore: aut præ nimiâ voluptate tumefacto ventre & cruribus *advenit*. Pallidi enim omnes, & ignavi, neque illis similes. Plurimi autem ipsorum pecuniarum causâ veniunt, factis, ut videtur, sibi invicem insidiis. CH. Illæ enim sunt omnino exceptibiles. MERC. Proinde neque ego videar peccare, si vel acerbiùs abs te exigam ea quæ mihi debes.

PLUTONIS ET MERCURII.

PLUTO.

SENEMNE nôsti, illum qui valdè provectum adeptus est senectutem, dico, divitem Eucratem, cui liberi quidem nulli sunt, hæreditatis autem captatores, quinquaginta millia. MERC. Etiam; illum Sicyonium dicis. Sed quid postea? PL. Illum, Mercuri, vivere sine, iis nonaginta annis, quos exegit, admetiens totidem alios, si fieri possit, atque etiam plures. Adulatores autem ejus Charinum juvenem, & Damonem, cæterósque omnes huc ordine detrahe. MERC. Atqui absurdum hoc videretur. PL. Nequaquam: imò justissimum. Quamobrem enim illi eum mori optant, vel *quamobrem* pecuniam illius captant, nullâ propinquitate juncti? Quod autem omnium sceleratissimum est, dum talia precantur, tamen in propatulo colunt, & quæ, ipso ægrotante, animo agitant, nemo ignorat: attamen sacrificaturos sese promittunt, si convaluerit: in summâ, varia est illorum hominum adulatio. Idcirco hic quidem esto immortalis; illi

verò ante ipſum fruſtra hiantes abeant. MERC. Ridicula patientur, ſcelerati cùm ſint. Ille etiam multis in rebus ſcitè admodum ipſos lactat, & ſpe *inani* paſcit: denique morienti ſemper ſimilis, juvenibus eſt multò valentior. Illi autem hæreditate inter ſe jam diviſâ paſcuntur, vitam beatam ſibi proponentes. PL. Proinde ipſe, exutâ ſenectute, quemadmodum Iolaus *ille*, repubeſcat. Illi autem ab ipsâ ſpe mediâ, ſomniatis divitiis relictis, mali malè mortui huc ſtatim veniant. MERC. Ne cures, Pluto: illos enim ordine ſingulatim tibi accerſam: ſeptem autem, opinor, ſunt. PL. Detrahe. Ille verò eorum omnium exequias comitabitur, ex ſene iterum adoleſcens factus.

TERPSIONIS ET PLUTONIS.

TERPSIO.

JUSTUMNE hoc eſt, Pluto, me triginta annos natum obiiſſe, Thucritum verò ſenem illum plus quàm nonagenarium adhuc vivere? PL. Juſtiſſimum utique, Terpſio: ſiquidem hic, dum vivit, nullius amicorum mortem exoptat; tu verò per omne tempus inſidiatus es ipſi, expectans hæreditatem. TERP. Annon decebat eum, cum ſenex fuerit, nec ampliùs ipſe divitiis uti potuerit, dato juvenibus loco, è vitâ migrâſſe? PL. Novas fers leges, Terpſio, ut qui non amplius divitiis ad voluptatem uti poteſt, moreretur. Sed hoc aliter & Parca, & Natura ſtatuit. TERP. Proinde hanc accuſo hujus *tam iniquæ* conſtitutionis: oportebat enim hanc rem ordine quodammodo fieri, ut ſenior, priùs, deinde

deinde poſt eum qui ætate ſequeretur, *obiret*: nequaquam autem inverti; neque in vivis manere eum qui ſenio confectus ſit, qui tres *tantùm* reliquos habeat dentes, vix videat, quatuor famulis curvato corpore innitatur, qui muco nares, concretis ſordibus oculos habeat plenos, nihil amplius jucundum ſciat, animatum quoddam ſit ſepulchrum à juvenibus deriſum, emori verò pulcherrimos & robuſtiſſimos adoleſcentes. Nam hoc perinde eſt ac ſi flumina ſurſum ferantur. Vel denique *homines* ſcire oportebat, quando ſenum quiſque moriturus eſſet, ut ne fruſtra quoſdam colerent. At nunc proverbium illud accidit, Currus ſæpe bovem ducit. PL. Hæc quidem, Terpſio, multò prudentiùs fiunt quàm putes. Vos autem quamobrem rebus alienis inhiatis, & ſenibus prole carentibus voſmet tantopere in adoptionem traditis? Idcirco riſu digni exiſtimamini, cum ab illis ſepelimini; eaque res eſt multis perjucunda. Nam quanto *magis* ipſos mori peroptatis, tanto jucundius eſt omnibus vos ipſis præmori. Novam enim quandam artem excogitâſtis, quum anus & ſenes amatis: præſertim ſi liberis careant: inamabiles verò vobis ſunt, qui liberos habent. Quanquam ex iis, qui non amantur, plurimi, minimè ignari veſtri aſtûs in amando, etiamſi liberos habeant, ſe odiſſe ipſos ſimulant, ut & ipſi amatores habeant. Deinde in teſtamentis excluſi ſunt, qui olim munera contulerunt: liberi verò & natura, ut juſtum eſt, omnibus potiuntur: at illi dolore ardentes, dentibus frendent. TERP. Hæc vera

ſunt,

ſunt, quæ dicis. Quantum enim meorum Thucritus devoravit, cùm ſemper mori videretur, &, quoties *ad eum* ingrediebar, ſubtus ingemiſceret, & internum quiddam, perinde atque ex ovo pullus immaturus ſubcrocitaret? itaque cùm exiſtimarem ipſum quamprimum ſandapilam conſcenſurum, multa mittebam, ut ne rivales munerum magnitudine me ſuperarent. Sæpe etiam præ ſolicitudine inſomnis jacebam, ſingula numerans & diſponens. Hæc igitur ipſa, inſomnia *ſcilicet* & curæ, mortis mihi cauſa extiterunt. Ille verò devoratâ mihi tantâ eſcâ, pridie cum ſepelirer, irridens mihi adſtabat. Pl. Euge, ô Thucrite, vivas diutiſſimè, divitiis ſimul affluens; & hujuſmodi homines deridens: neque tu priùs moriaris, quàm omnes iſtos aſſentatores præmiſeris. Terp. Hoc ſanè, Pluto, jam mihi jucundiſſimum fuerit, ſi & Chariades ante Thucritum vitâ deceſſerit. Pl. Bono ſis animo, Terpſio: etenim Phidon & Melantus, & denique omnes iiſdem confecti curis ante ipſum *ad nos* venient. Terp. Hæc probo: vivas diutiſſimè, Thucrite.

ZENOPHANTÆ ET CALLIDEMIDÆ.

ZENOPHANTES.

At tu, Callidemides, quo pacto interiiſti? nam me, cùm Diniæ paraſitus eſſem, plus æquo ingurgitando præfocatum fuiſſe nôſti; aderas enim morienti. Call. Aderam, Zenophantes. Me verò quod attinet, inopinatum quiddam accidit. Nôſti enim & tu Ptœodorum

illum

illum senem. ZEN. Orbum illum liberis, ac divitem *dicis*, apud quem te sæpe versari conspiciebam? CALL. Illum semper colebam, id mihi fore pollicens ut meo bono quamprimum moreretur. Verùm cùm ea res in longum proferretur, & ultra Tithoni *ætatem* senex viveret, compendiariam quandam excogitavi ad hæreditatem viam. Empto enim veneno, pocillatori persuaseram, ut simul atque Ptœodorus potum posceret (bibit autem abundè) ubi meracum in calicem infudisset, *etiam* illud in promptu haberet, illique traderet. Quod si faceret, juravi me illum manumissurum. ZEN. Quid igitur accidit? nam inopinatum quiddam narraturus mihi videris. CALL. Cùm loti venissemus, puer, duobus paratis poculis, altero, cui venenum inerat Ptœodoro, altero autem mihi, nescio quomodo errans, mihi venenum, Ptœodoro verò *poculum* non venenatum tradidit. Deinde ille quidem bibit, at ego protinus humi porrectus jacebam, suppostititium illius loco cadaver. Quid hoc rides, Zenophantes? Atqui non convenit amico illudere. ZEN. Lepida sanè, Callidemides, passus es: senex verò quid ad hæc? CALL. Primùm quidem repentino casu nonnihil turbatus est; deinde simul atque intelligit id quod acciderat, risit & ipse propter ea quæ pocillator fecerat. ZEN. Verùm non oportuit te ad illam compendiariam viam divertere: venisset enim tibi *hæreditas* populari viâ tutius, etiamsi serior paulò fuisset.

CNE.

CNEMONIS ET DAMNIPPI.

CNEMON.

HOC est illud proverbii, Hinnulus leonem. DAM. Quid ſtomacharis, Cnemon? CN. Quid ſtomacher rogas? Hæredem invitus reliqui, miſer aſtu deluſus, iis prœteritis, quos mea habere maximè cupiebam. DAM. Quînam id accidit? CN. Hermolaum illum inſigniter divitem, liberis orbum, mortis ejus intuitu colebam: neque ille obſequium meum injucundè admittebat. Interim ſcitum illud mihi viſum eſt ut teſtamentum publicè proferrem, quo illum rerum omnium mearum hæredem inſtitueram: ut & ille *ſcilicet* me æmularetur, idemque faceret. DAM. At quid tandem ille? CN. Quid ille ſuo in teſtamento ſcripſerit, id quidem ignoro. Cæterùm ego repentè, tecto in me delapſo, è vitâ deceſſi. Et nunc res meas poſſidet Hermolaus, lupi in morem ipſo hamo cum eſcâ pariter avulſo. DAM. Non *hamum* modò & *eſcam*, ſed & ipſum te piſcatorem *abſtulit*. Itaque dolum in te ipſum ſtruxeras. CN. Ita videtur, ideóque lugeo.

CHARONTIS ET MERCURII, &c.

CHARON.

AUDITE quo loco ſint res veſtræ. Equidem parva eſt nobis, ac ſupputris navicula, prout videtis, & undique perfluit: & ſi

in alterutram partem inclinârit, subvertetur. Vos autem tam multi simul confluitis, multásque sarcinas singuli affertis: quibuscum si conscenderitis, vereor ne *facti* vos pœniteat postea: præcipuè quicunque natare nescitis. MORTUI. Quo igitur facto tutò navigabimus? CH. Ego dicam vobis. Nudos *vos* ingredi oportet, omniáque hæc superflua in littore relinquere. Vix enim etiam sic capiat vos navigium. Tibi verò, Mercuri, curæ erit deinceps neminem ex ipsis excipere nisi qui sit nudus, & supellectilem, ut dixi, abjecerit. Itaque stans ad navigii scalam ipsos cognosce, & nudos ingredi cogens, suscipe. MERC. Rectè dicis: & sic faciemus. Quis est hic primus? MEN. Ego *sum* Menippus. Ecce autem pera mea & baculum in paludem projiciantur, Mercuri; verùm rectè feci, qui pallium non attulerim. MERC. Ingredere ô Menippe, vir optime, primúmque apud navis gubernatorem in summitate locum occupa, ut omnes intuearis. Verùm quis est formosus iste? CHAR. Ego sum Charmoleus ille Megarensis amabilis, cujus osculum duobus talentis emptum est. MERC. Exue igitur istam pulchritudinem, & labia cum ipsis osculis, promissam etiam comam, & genarum ruborem (vel *eum qui supra genas est ruborem)* & totam cutem. Bene se res habet, expeditus es, ingredere nunc. Hic verò, qui purpurâ *amictus est*, & diadema *gestat*, facie truculentus, quisnam es? LAM. Lampichus Geloorum tyrannus. MERC. Quorsum, Lampiche, cum tot sarcinis ades? LAM. Anne conveniebat, Mercuri,

nudum

nudum venire tyrannum? MERC. Nequaquam tyrannum, ſed mortuum: itàque iſta depone. LAM. Ecce divitias abjeci. MERC. Faſtum etiam abjice, Lampiche, & ſuperbiam: ſi enim hæc ſimul ingrediantur, navigium gravabunt. LAM. Permitte ſaltem ut diadema habeam, & ſagulum. MERC. Nequaquam, ſed hæc etiam dimitte. LAM. Ita fit: quid ampliùs? nam omnia, ut vides, abjeci. MERC. Crudelitatem quoque, & amentiam, & inſolentiam, & iracundiam, etiam hæc dimitte. LAM. Ecce nudus ſum. MERC. Ingredere nunc. Tu verò pinguis & carnoſus, quis es? DAM. *Sum* athleta Damaſias. MERC. Etiam ille eſſe videris: novi enim te, ut qui ſæpe in palæſtris viderim. DAM. Etiam Mercuri: ſed me excipe, cum ſim nudus. MERC. Nequaquam nudus, vir optime, cum ſis tantâ carne circundatus; eam itaque exue; navim enim ſubmerges, ſi vel alterum pedem impoſueris. Sed & coronas iſtas, & præconia abjice. DAM. En planè nudus ſum, ut vides, & paris ponderis cum aliis mortuis. MERC. Sic præſtat eſſe levem: itaque ingredere. Tu quoque Craton, depoſitis divitiis, præterea mollitie, & deliciis, neque tecum funebria affer veſtimenta, nec majorum dignitates: ſed & genus & gloriam relinque; & ſi quando civitas te benefactorem præconio declaravit, *etiam hoc relinque*, & ſtatuarum inſcriptiones, nec eos magnum tibi ſepulchrum extruxiſſe dicito. Nam & hujus mentio navigium gravabit. CR. Invitus certè, ſed tamen abjiciam: quid enim faciam? MERC. Papæ! tu verò armatus quid vis? aut quid

tro-

tropæum istud fers? Mort. Quia vici, Mercuri, & fortissimè me gessi, & civitas *hoc* me honore affecit. Merc. Relinque tropæum in terrâ: apud inferos enim pax est, nihilque armis opus erit. Verùm quis est ille, ipso habitu gravitatem quandam præ se ferens, elatus, supercilia attollens, meditabundus, promissâ barbâ? Men. Philosophus aliquis, Mercuri: imò præstigiator, & prodigiorum plenus: itaque & hunc exue: videbis enim multa, eáque ridicula sub pallio abscondita. Merc. Hunc tu habitum depone primùm: deinde hæc quoque omnia. O Jupiter, quantam ille arrogantiam, quantam inscitiam, quantum contentionum, inanis gloriæ, quæstionum dubiarum, spinosarum disputationum, & cogitationum perplexarum circumfert! quinetiam inanem diligentiam permultam, & deliramenta non pauca, & nugas, & rerum minimarum disquisitionem. Sed per Jovem aurum etiam hoc, & voluptatem, & impudentiam, & iram, & delicias, & mollitiem, (neque enim ista me latent, etiamsi studiosè celes) mendacium quoque & fastum abjice, illámque opinionem, quâ te aliis præstantiorem esse ducis: nam si cum his omnibus ingrediaris, quæ te quinquagintaremis capiat? Ph. Depono igitur ea, quandoquidem sic jubes. Men. Sed & barbam hanc deponat, Mercuri, cùm adeò gravis, & hirsuta sit, ut vides: cujus capilli quinque sunt minarum ad minimum. Merc. Rectè dicis, hanc etiam depone. Ph. Ecquis detondebit? Merc. Menippus iste sumptâ securi, *unâ* ex iis quibus naves fabricantur, eam resecabit, pro ligno quod secandis

dis ſupponitur ſcalâ navali utens. MEN. Nequaquam, Mercuri: ſed da mihi ſerram: hoc enim erit magis ridiculum. MERC. Sufficiet ſecuris. Euge: humaniorem reddidiſti, ſepoſito ejus fœtore hircino. MEN. Viſne ut paulum de ſuperciliis auferam? MERC. Maximè. Nam hæc ſuper frontem attollit, neſcio quam ob rem ſeſe efferens. Quid hoc rei eſt? etiam ploras ſceleſte, & mortem formidas? ingredere igitur. MEN. Unum adhuc graviſſimum ſub alis geſtat. MERC. Quidnam, Menippe? MEN. Adulationem, Mercuri, quæ illi, dum viveret, multum profuit. PH. Igitur & tu, Menippe, depone tuam libertatem, & loquendi audaciam, lætitiam, generoſitatem, & riſum: ſolúſne omnium rides? MERC. Nequaquam; ſed retine iſta, levia cùm ſint & portatu facilia, atque ad navigationem utilia. Tu verò, Orator, depone infinitam iſtam loquacitatem, antitheſes, membrorum adæquationes, periodos, barbariſmos, aliáque orationum pondera. PH. En depono. MERC. Bene res ſe habent. Itaque ſolve funem, attollamus ſcalas, attrahatur anchora: expande velum, túque, portitor, dirige clavum. Bene ſit nobis. Quid ploratis, ſtolidi, túque, Philoſophe, in primis, qui paulò ante tuâ barbâ ſpoliatus es? PH. Quoniam, Mercuri, animam immortalem eſſe putabam. MEN. Mentitur: alia enim ipſum mœrore afficere videntur. MERC. Quænam illa? MEN. Quia non ampliùs opiparas cœnas habebit: neque noctu exiens clam omnibus, circumvoluto palliolo capiti, proſtibula in orbem luſtrabit:

ſtrabit: nec manè deceptis adoleſcentibus ſuâ ſapientiâ pecuniam accipiet. Hæc ſunt quæ illi dolent. PH. An tibi, Menippe, mortuum eſſe moleſtum non eſt? MEN. Quomodo *moleſtum ſit mihi*, qui ad mortem, nullo vocante, feſtinavi? Verùm nonne clamor quidam, interim dum confabulamur, veluti quorundam in terrâ vociferantium exauditur? MERC. Etiam, Menippe: nec ab uno quidem loco. Sed alii in unum cœtum convenientes, læti rident omnes propter Lampichi mortem, & uxor ejus a mulieribus circundatur, & liberi recens nati, etiam illi pariter crebris lapidibus a pueris feriuntur: alii verò Diophantum Rhetorem laudant, in Sicyone funebres orationes pro Cratone iſto recitantem: atque per Jovem, Damaſiæ mater ululans, lamentationem pro Damaſia cum mulieribus incœptat. Te verò, Menippe, nemo deplorat, & ſolus jaces tranquillus? MEN. Nequaquam: nam haud multo poſt, canes miſerabiliter propter me latrantes audies, & corvos alis ſeſe verberantes, quando ad ſepeliendum me convenient. MERC. Generoſus es, Menippe. Sed quia jam transfretavimus, abite vos ad forum judiciale rectà per hanc viam progredientes. Ego verò, & portitor alios acceſſemus. MEN. Feliciter navigate, ô Mercuri: Nos verò progrediamur. Quid adhuc cunctamini? judicari oportebit: & graves dicunt eſſe pœnas: rotas, vultures, ſaxa. Uniuſcujuſque autem vita pateſiet.

CRATETIS ET DIOGENIS.

CRATES.

MOERICHUM illum divitem nôras, Diogenes, illum, *inquam*, insigniter divitem, illum Corintho profectum, cui tot erant naves onerariæ, cujus consobrinus Aristeas, ipse etiam dives, Homericum illud in ore habere solebat, *Aut me tolle tu, aut ego te.* DIOG. Cujus rei gratiâ se invicem colebant, Crates? CRAT. Hæreditatis causâ uterque, cum essent coævi. Et testamenta publicaverant ambo, in quibus Mœrichus, si prior moreretur, Aristeam omnium rerum suarum dominum relinquebat: & Mœrichum vicissim Aristeas, si prior e vitâ decederet. Hæc quidam erant in tabulis scripta; illi verò sese invicem colebant, & adulatione superare contendebant. Porrò *non solum* divini, sive futurum ex astris conjectarent, sive ut Chaldæi ex somniis, sed & Pythius ipse, nunc Aristeæ, nunc Mœricho victoriam præbebat; & modò ad hunc, modò ad illum trutina propendebat. DIOG. Quid igitur tandem evenit, Crates? nam audire est operæ precium. CRAT. Eodem die ambo sunt mortui: cæterùm hæreditates ad Eunomium ac Thrasyclem devenerunt, quorum uterque illis cognatus erat: & qui nunquam præsagiverant hæc ita futura. Etenim cùm Sicyone Cirrham versus navigarent, medio in cursu, in obliquum incidentes Iapygem eversâ navi perierunt. DIOG. Benè fecerunt. At nos cùm in vitâ essemus, nihil ejusmodi alter de altero cogitabamus: neque

unquam

unquam optavi ut moreretur Antisthenes, quò illius baculum hæreditate possiderem; (validum autem admodùm ex oleastro factum habebat) neque tu, Crates, opinor, cupiebas me mortuo possessionum mearum hæres fieri, dolii *scilicet* ac peræ, cui inerant duæ lupinorum chœnices. CRAT. Neutiquam enim mihi opus erat his, neque etiam tibi, Diogenes: quæ enim opus erant, ea tu ab Antisthene tanquam jure hæreditatis accepisti, & ego a te, longè majora & augustiora Persarum imperio. DIOG. Quænam sunt ista quæ dicis? CRAT. Sapientiam, *inquam*, frugalitatem, veracitatem, loquendi audaciam, vivendi libertatem. DIOG. Memini sanè has me divitias ab Antisthene accepisse, & tibi etiam ampliores reliquisse. CRAT. Verùm reliqui mortalium hoc possessionum genus aspernabantur: neque quisquam nos coluit hæredem se futurum sperans: sed ad aurum omnes oculos intendebant. DIOG. Nec injuriâ: non enim habebant quò facultates ejusmodi a nobis *traditas* acciperent, quippe qui, tanquam putria marsupia, deliciis diffluerent: quare siquando quis in illos infunderet vel sapientiam, vel dicendi libertatem, vel veritatem, excideret illico & efflueret, cùm id continere fundum non posset. Cujusmodi quiddam accidit Danai filiabus virginibus, quæ in pertusum dolium aquam importabant. At *idem* aurum dentibus & unguibus, omnique industriâ servabant. CRAT. Proinde nos nostras opes hîc quoque possidebimus: illi verò obolum duntaxat huc afferent, illumque *tantum* usque ad Portitorem.

ALEXANDRI, ANNIBALIS, SCIPIONIS ET MINOIS.

ALEXANDER.

ME prius, quàm tu, Libyce, judicari par est: præstantior enim sum. AN. Minimè: sed me. AL. Ergo judicet Minos. MIN. At quinam estis? AL. Hic est Carthaginiensis Annibal: ego Alexander Philippi filius. MIN. Per Jovem ambo gloriosi. Sed quâ de re vobis est altercatio? AL. De præstantiâ. Hic enim se meliorem fuisse exercitûs ducem, quàm ego, dicit. Ego verò, ut omnes sciunt, non isto solùm, sed omnibus fermè, qui ante meam ætatem vixêre, in re militari fuisse me præstantiorem assero. MIN. Ergo vicissim uterque dicat. Tu verò, Libyce, primus verba facito. AN. Unum hoc me juvat, Minos, quod & hîc Græcam linguam didicerim: adeò ut neque hâc parte plus hic, quàm ego, referat. Porrò illos maximè laude dignos assero, qui cùm principio nihil essent, magni tamen evaserunt, & per se potentes facti, & principatu dign habiti. Ego igitur cum paucis Iberiam adortus, cùm sub fratre dux essem exercitûs, dignus censebar, qui res maximas aggrederer, & præstantissimus judicabar. Ibi tum Celtiberos cepi, & Galatas Hesperios devici. Et cùm magnos montes transcendissem, *regiones*, quæ circa Eridanum *sitæ sunt*, omnes incursionibus vastavi, multasque urbes everti, & planam Italiam subjugavi: & usque ad præeminentis urbis

urbis ſuburbia graſſatus ſum: totque uno die occidi, ut eorum annulos modiis metitus ſim, & ex cadaveribus pontes fluviis fecerim. Atque hæc omnia peregi, cùm neque me Ammonis filium appellarem, neque me Deum fingerem, neque matris inſomnia narrarem; ſed me hominem faterer, & ducibus prudentiſſimis adverſarer, & cum militibus fortiſſimis manus conſererem; nec Medos & Armenios expugnarem, qui priùs fugiunt, quàm quiſquam eos perſequatur, & cuivis audenti victoriam facilè tradunt. Alexander verò acceptum a patre imperium auxit, & fortunæ quodam impetu uſus multùm ampliavit: & poſtquam perditum illum Darium in Iſſo & Arbelis vicerat ſubegeratque, & paternâ virtute degenerans adorari voluit, & ad Medicam vivendi formam vitæ ſuæ inſtitutum commutavit, & inter convivia amicorum cæde ſe contaminavit, & ipſe corripuit duxitque ad mortem. Ego autem pariter patriæ dominatus ſum: & cùm me revocaret, hoſtium magnâ claſſe adverſus Libyam navigante, parui ſtatim, meque hominem privatum dedi; & damnatus æquo animo rem tuli. Atque hæc egi, barbarus cùm eſſem, omniſque Græcanicæ diſciplinæ expers, nec Homerum, ut iſte, frequenter recitâſſem, nec ab Ariſtotele ſophiſtâ edoctus, ſed ſolâ naturæ meæ ſolertiâ uſus fuiſſem. Hæc ſunt, quibus me Alexandro præſtantiorem prædico. Quòd ſi præſtantior eſt iſte, quoniam diademate revinctum caput ha-

buit, id decorum forsan est apud Macedonas: non tamen propterea melior videri debet generoso viro, & imperatore, qui prudentiâ magis quàm fortunâ usus est. Min. Hic certè non mollem habuit orationem, nec qualem pro se Libycum hominem decebat. Tu verò, Alexander, quid ad hæc dicis? Al. Nihil certè, Minos, homini tam temerario respondendum esset. Satis enim vel sola fama te docuerit, qualis ego rex, qualis iste latro fuerit. Adverte tamen, an parùm ipsum superaverim; qui, cùm essem adhuc adolescens, rem aggressus regnum obtinui turbatum, & de patris interemptoribus supplicium sumpsi, & Græciam Thebanorum interitu perterrui. Tum ab iis dux electus, dignum non putavi, Macedonum imperium curando, me contentum esse eorum imperio, quæ pater reliquerat: sed totum terrarum orbem animo concipiens, & grave *fore* existimans, ni omnes subjugarem, paucos ducens, Asiam invasi: & apud Granicum magnâ pugnâ vici. Captâque Lydiâ, Ioniâ ac Phrygiâ, denique subjugato quicquid obviam erat, Issum veni, ubi me Darius innumeras copias ducens expectabat. Post hæc, ô Minos, vos ipsi scitis, quot uno die mortuos ad vos miserim. Dicit enim Portitor tunc scapham ipsis non suffecisse: sed plerosque illorum extemporaneis *ratibus* compactis trajecisse. Et hæc confeci in primâ acie periclitans, & in pugnâ vulnerari non timens. Et ut quæ Tyri & Arbelis gesta sunt tibi non exponam, ad Indos usque veni, meùmque imperium Oceano terminavi: & ipsòrum elephantes

phantes cepi, & Porum ſubegi: Scythas etiam non contemnendos homines, ſuperato Tanai, magnâ equeſtri pugnâ devici; & amicis beneſeci, & inimicos ultus ſum. Quod ſi Deus hominibus viderer, condonandi ſunt illi, qui propter facinorum meorum magnitudinem tale quid de me crederent. Tandem ego, dum regnarem, moriebar; ille verò, cum apud Bithynum Pruſiam exularet, ſicut dignum erat peſſimum & crudeliſſimum hominem *mori*. Nam quo pacto Italos vicit, omitto dicere: ſcilicet eum id non virtute, ſed nequitiâ, & perfidiâ, & dolis peregiſſe, juſtum verò aut apertum nihil. Sed quoniam delicias mihi objecit, oblitus mihi videtur eorum quæ Capuæ commiſit, cum meretricibus conſuetudinem habens, & pugnandi occaſiones per luxum vir ille mirandus abſumens. Ego verò, niſi quæ ſub Occidente ſunt parva ratus, ad Orientem potiùs me contuliſſem, quidnam adeò magni præſtitiſſem, Italiam abſque ſanguine nactus, ac Libyam, omnémque tractum ad Gades uſque ſub poteſtatem facilè redigens? ſed hæc nullâ contentione digna putavi, quæ jam me formidarent & dominum agnoſcerent. Dixi. Tu verò, Minos, judica. Hæc enim e multis *protuliſſe* ſatis eſt. SCIP. Ne prius, quàm me quoque audiveris. MIN. Quiſnam es tu, vir optime, aut cujas, qui dicturus ſis? SCIP. Scipio ſum, Romanus Imperator, qui Carthaginem expugnavi, & Afros magnis præliis ſubegi. MIN. Quid igitur tu dices? SCIP. Alexandro quidem me eſſe inferiorem, ſed Annibale

bale

bale præstantiorem, qui ipsum devictum, & turpiter fugere coactum, persecutus sum. Quomodo igitur impudens iste non est, qui cum Alexandro certare ausit, cui ne ipse quidem Scipio, qui istum devici, comparari dignum me puto? MIN. Per Jovem æqua dicis, Scipio. Quapropter primus quidem judicetur Alexander: post ipsum autem tu; deinde, si videtur, tertius Annibal, qui nec ipse contemnendus est.

DIOGENIS ET ALEXANDRI.

DIOGENES.

QUID hoc rei est, Alexander? & tu mortuus es, sicut nos omnes? AL. Vides, Diogenes: neque verò mirum est, si cùm homo fuerim, defunctus sim. DIOG. Ammon igitur ille mentiebatur, quum te suum esse filium diceret: an verò tu Philippi filius eras? ALEX. Philippi certè: non enim obiissem, si Ammonis fuissem *filius*. DIOG. Atqui de Olympiade similia quædam ferebantur, draconem cum eâ consuetudinem habuisse, & in lecto fuisse visum: deinde sic te genitum fuisse: porrò deceptum Philippum, qui se tuum patrem esse existimaret. AL. Hæc etiam, ut tu, ipse audivi: nunc autem video neque matrem, neque Ammonios illos vates sani quicquam dixisse. DIOG. At hoc illorum mendacium, Alexander, tibi ad res gerendas non fuit inutile: multi enim te Deum esse rati metuebant. Sed dic mihi, cuinam tantum imperium reliquisti? AL.

Nescio,

Nescio, Diogenes. Non enim potui quicquam de eo statuere, priusquam morerer, nisi hoc solum quòd moriens Perdiccæ annulum tradidi. Verùm quid rides, Diogenes? Diog. Quidnam aliud, quàm quod memini, quid Græci fecerint, quum, imperium nuper ubi accepisses, tibi adularentur, te Imperatorem eligerent, & ducem adversus barbaros: nonnulli etiam te duodecim Deorum numero adderent, templa ædificarent, & *tibi* ut draconis filio sacra facerent? Sed dic mihi, ubi te Macedones sepeliêrunt? Al. Etiamnum in Babylone jaceo tertium jam diem. Sed Ptolemæus ille satelles meus, siquando detur otium ab his rerum tumultibus qui nunc instant, pollicetur in Ægyptum deportaturum me, ibíque sepulturum, ut fiam ex Diis Ægyptiis unus. Diog. Non risero, Alexander, cùm te etiam apud inferos desipientem videam, & sperantem fore ut aliquando fias Anubis, vel Osiris? Verùm hæc ne speres, divinissime. Neque enim fas est reverti quenquam ex iis, qui semel paludem transmiserint, atque intra specûs hiatum descenderint: non enim negligens est Æacus, neque contemnendus Cerberus. Verùm illud abs te libenter discerem, quo feras animo quoties reputas, quantâ felicitate apud superos relictâ, *huc* sis profectus, *putà* corporis custodibus, satellitibus, satrapis, auro tanto, populis qui te adorabant, Babylone, Bactris, immanibus illis belluis, dignitate, gloriâ: & conspicuum esse dum vectareris, dum vittâ candidâ caput revinctum haberes, dum purpuram fibulis substrictam gestares.

res. Numquid hæc te discruciant, cum memoriam subeunt? quid lachrymaris, ô stolide? annon hoc te docuit sapiens ille Aristoteles, ne res eas, quæ a fortunâ *proficiscuntur*, firmas putares? AL. Sapiensné ille, qui sit assentatorum omnium perditissimus? Sine me solum Aristotelis facta scire, quàm multa a me petierit, quæ mihi scripserit, utque meâ in disciplinis ambitione abusus sit, cùm palparetur, ac prædicaret me, nunc ob formam, ac si hæc summi boni pars esset: nunc ob res gestas atque opes: nam has quoque in bonis esse censebat, ne erubesceret ipse quod eas acciperet, præstigiosus planè & fraudulentus homo, Diogenes. Quanquam illud fructûs ex ipsius sapientiâ percepi, *scilicet* quod nunc *de iis*, quæ paulo ante enumerâsti, ut summis de bonis excrucier. DIOG. At scin' tu quid facies? subjiciam tibi doloris illius remedium. Quandoquidem hic Elleborus non nascitur, fac ut Lethæi fluminis aquam hiante ore attrahens bibas: sic enim desines propter Aristotelica bona discruciari: at Clitum illum, & Callisthenem video, & complures alios in te irruentes, ut te discerpant, & injurias a te acceptas ulciscantur. Quare alteram hanc viam ito, &, ut dixi, sæpe bibito.

ALEXANDRI ET PHILIPPI.

PHILIPPUS.

NUNC tandem, Alexander, negare non potes te filium esse meum: non enim obiisses, si Ammonis fuisses. ALEX. Nec ipse ignorabam, Pater, me Philippi Amyntæ filium fuisse; sed vaticinium admisi, ut qui ad res gerendas mihi utile futurum putaverim. PH. Quid ais? num utile videbatur tibi præbere teipsum à vatibus decipiendum? AL. Non isthuc: sed me formidârunt Barbari, nullúsque *viribus meis* restitit, cùm putarent sibi adversus Deum præliandum. Quare faciliùs ipsos subjugavi. PH. Quos tu tanto conatu dignos usquam vicisti, qui cum timidis istis, arculos & peltaria, gerrásque vimineas *sibi* protendentibus, semper congressus es? sed opus erat *egregium* Græcos armis domare, Bœotios, Phocenses, Athenienses: præterea Arcadum peditatum, equitatum Thessalicum, Eleorum jaculatores, Mantineos peltis instructos: vel Thracas, vel Illyrios, vel etiam Pæonas subjugare, hæc ardua *erant*. An verò nescis ut Medos, Persas, Chaldæos, aure conspicuos, & delicatos homines, ante te duce Clearcho decies mille viri expeditionem suscipientes expugnaverint, cùm ne manus quidem conserere sustinerent, imò, antequam emissum fuisset telum, fugerent? AL. At verò Scythæ, pater, & Indorum elephantes, non est contemnendum opus. Attamen neque concitatis inter ipsos dissidiis, nec emptis pro-

ditione victoriis, ipsos subegi: nec unquam pejeravi, nec quippiam pollicitus fefelli, fidémve solvi victoriæ gratiâ. Adde quod & Græcorum aliòs sine sanguine cepi; Thebanos verò fortè audîsti quomodo punirem. Ph. Hæc omnia novi: Clitus enim mihi retulit, quem tu jaculo transverberatum inter epulas interfecisti, eò quòd me cum tuis rebus gestis comparatum laudare ausus fuisset. Tu verò abjectâ chlamyde Macedonicâ candyn, ut aiunt, induisti, & tiaram rectam *capiti* imposuisti, & à Macedonibus, viris utique liberis, adorari voluisti. Et quod omnium *fuit* maximè ridiculum, hominum abs te devictorum mores imitatus es. Omitto enim dicere quæcunque alia commisisti, ut viros doctos cum leonibus simul in claustris inclusisti, & tales nuptias peregisti, atque Hephæstionem supra modum amâsti. Unum tantùm, cum audiverim, laudavi, scilicet quòd à Darii uxore formosâ abstinueris, & matris ac filiarum ejus curam susceperis: hæc enim rege digna. Al. Sed in subeundis periculis alacritatem non laudas, Pater, & quod apud Oxydracas primus intra mœnia desilierim, totque vulnera acceperim? Ph. Non hoc laudo, Alexander; non quòd non decorum esse putem vulnerari quandoque regem, & in primâ acie periclitari; sed quòd illud ex re tuâ minimè erat: etenim pro Deo habitus, siquando vulnus acciperes, téque viderent *homines* bello gestando efferri, sanguine manantem, propter vulnus ejulantem, spectatoribus hæc forent ridendi argumentum: adde quod Ammon præstigiator, &

falsus

falſus vates argueretur, & prophetæ ejus adulatores. Ecquis non riſiſſet conſpicatus Jovis filium animo deficientem, & medicorum opem implorantem? nunc verò quum jam vitâ functus es, non multos eſſe putas qui fictionem illam irrideant & maledictis carpant, quum Dei cadaver porrectum, ſtratum, putridum jam & tumidum, juxta corporum omnium morem, vident? cæterùm quod ais, Alexander, tibi fuiſſe conducibile, quò faciliùs rerum potireris; id tibi rerum præclarè geſtarum gloriæ non parùm detraxit. Nihil enim non videbatur minus, quod a Deo fieri credebatur. Al. Haudquaquam hæc de me ſentiunt homines: ſed Herculi & Baccho me parem eſſe ſtatuunt, & quidem Aornum illam, quam neuter illorum cepit, ego ſolus ſubegi. Ph. Vides ut iſta tanquam Ammonis filios dicis, quando cum Hercule & Baccho te ipſum comparas, & ut non erubeſcis, Alexander, nec arrogantiam dediſcis, nec teipſum cognoſcis, nec jam mortuus ſapis?

ACHILLIS ET ANTILOCHI.

ANTILOCHUS.

QUALIA ſunt iſta, Achilles, quæ Ulyſſi nuper de morte dicebas! quàm non generoſa, nec ambobus tuis præceptoribus Chirone & Phœnice digna! etenim audiebam cum diceres te malle ruſticam vitam agere, & inopi cuipiam, cui victus non ſuppeteret multus, operam

operam locare, quàm defunctis omnibus imperare. Hæc certè ignavum aliquem Phrygem, meticulosum, & ultra quàm honestum sit vitæ cupidum pronunciare forsitan decuisset: sed Pelei filium, & omnium Heroum periculorum amantissimum, tam humilia de se cogitare, pudendum valdè, & rebus in vitâ præclarè a te gestis planè contrarium; qui, cum liceret in Phthiotide inglorié longo tempore regnare, lubens gloriosam mortem prætulisti. ACH. At tunc quidem, ô Nestoris fili, ignarus eorum quæ hîc sunt, & utrum eorum esset præstantius nesciens, infelicem illam gloriolam vitæ anteponebam: at nunc tandem intelligo quàm ea sit inutilis, licet qui superi sunt maximopere celebraverint. Apud mortuos enim æqualis est omnium honos. Nec illa pulchritudo, Antiloche, nec robur adest: sed jacemus omnes sub eâdem caligine similes, & alii ab aliis nihil discrepantes: nec me Trojanorum manes verentur, nec Græcorum venerantur: sed exquisita est juris æquabilitas, similísque *alter alteri* defunctus, sive ignavus, sive strenuus fuerit. Hæc me torquent, & doleo quòd non potius vivo & operam loco. ANT. At verò, Achilles, quid agat quispiam? hoc enim naturæ visum est, ut omnes omnino moriantur. Itaque par est te legi acquiescere, nec statutis discruciari: præterea viden' quot e sociis circa te nos sumus? quin & paulo post etiam Ulysses adveniet prorsus: affert autem solatium societas rei, & quod non solus ipse patiaris. Vides Herculem, Meleagrum, aliósque admirabiles viros, qui (ni fallor)

fallor) haudquaquam vellent redire, siquis eos remitteret, ut pauperibus & victûs indigentibus viris pro mercede servirent. ACH. Hæc sociorum quidem est admonitio: sed me nescio quomodo memoria eorum, quæ in vitâ sunt, contristat, & puto hanc etiam vestrûm unumquemque *contristare*. Quod ni confiteamini, eò deteriores estis, quòd, cùm eodem modo affecti sitis, dissimuletis. ANT. Minimè: sed *longè* meliores, Achilles: quippe qui intelligimus quàm sit inutile de iis verba facere: Silere enim, & ferre, & æquo animo sustinere fixum est nobis, ne talia optantes, risu digni, quemadmodum tu, existimemur.

MENIPPI ET TANTALI.

MENIPPUS.

QUID fles, Tantale? aut quid teipsum deploras in stagno stans? TAN. Quoniam siti pereo, Menippe. MEN. Adeóne piger es, ut non vel corpus inclinando bibas, vel per Jovem cavâ manu hauriendo? TAN. Nihil profecero, si procumbam: fugit enim aqua, simul atque me propiùs admoveri sentiat. Quod si aliquando hausero, & ori admovero, ut primum summa irrigavi labia, continuò inter digitos effluens *aqua*, haud scio quomodo rursus manum meam aridam relinquit. MEN. Prodigiosum quiddam pateris, Tantale. Verùm dic mihi, quid potu opus est? corpus enim non habes;

habes; sed illud utique in Lydiâ alicubi sepultum est, quod & esurire & sitire poterat. Tu verò cùm sis anima, quînam adhuc sitire queas aut bibere? TAN. Hoc ipsum est pœna mea, ut anima sitiret, ac si esset corpus. MEN. Sed hoc ita se habere credemus, siquidem asseris te siti puniri? Quid ergo acerbi hinc tibi accidet? num metuis ne potûs inopiâ moriare? at equidem haud video alium post hunc Orcum, aut mortem *quæ* hinc *nos ducat* in alium locum. TAN. Rectè quidem dicis. Verùm hoc est pars supplicii mei, ut desiderem bibere, cum nihil indigeam. MEN. Desipis, Tantale: & verè potu indigere videris, mero putà Elleboro; cui contrarium accidet, atque iis quos rabiosi canes momorderint, ut qui non aquam, sed sitim horreas. TAN. Ne veratrum quidem recusârim bibere, Menippe, si daretur mihi modò. MEN. Bono sis animo, Tantale; quoniam neque tu nec alius *quispiam* mortuorum bibet: nec enim fieri potest: quanquam non omnes, quemadmodum ut, ex eo quòd puniantur, sitiant, aquâ illos non expectante.

MENIPPI, ÆACI, *&c.*

MENIPPUS.

PER Plutonem, Æace, mihi omnia circumducens expone quæ sunt in Orco. ÆAC. Haud facilè, Menippe, omnia: sed quæ summaria sunt, disce. Hunc quidem esse Cerberum nôsti; & Portitorem hunc, qui te trajecit,

præterea lacum & Pyriphlegethontem jam vidiſti, quum ingreſſus es. Men. Hæc novi: & te aditûs cuſtodem eſſe: Regem etiam vidi, & furias. Homines verò priſcos, & maximè qui ex illis inſignes fuerunt, oſtende. Æac. Hic eſt Agamemnon: ille Achilles; iſte verò, qui propè *aſſidet*, Idomeneus: deinde Ulyſſes, poſtea Ajax & Diomedes, atque Græcorum præſtantiſſimi. Men. Papæ, Homere, qualia tuarum rhapſodiarum capita humi jacent porrecta, ignota, & informia, pulvis omnia & meræ nugæ, reverà imbecilla capita! Hic verò, Æace, quiſnam eſt? Æac. Cyrus eſt. Hic verò Crœſus, juxtàque ipſum, Sardanapalus; qui verò ultra hos eſt, Midas, ille verò, Xerxes. Men. Et te, ô ſceleſte, tota exhorruit Græcia, jungentem *pontibus* Helleſpontum, & per montes ipſos navigare affectantem? qualis verò eſt Crœſus? Sed hunc Sardanapalum, Æace, permitte mihi, ut in maxillam percutiam. Æac. Nequaquam. Comminues enim ipſi calvariam, cùm ſit adeò muliebris. Men. Attamen amplexabor illum, utpote planè ſemivirum. Æac. Vis ut tibi ſapientes etiam oſtendam? Men. Etiam per Jovem. Æac. En tibi primus hic eſt Pythagoras. Men. Salve Euphorbe, ſive Apollo, ſive denique quocunque vocari nomine voles. Pyth. Ita ſanè: & tu quoque, Menippe. Men. Annon ampliùs aureum illud tibi eſt femur? Pyth. Non: ſed age cedo, ſiquid edulę habeat hæc tua pera. Men. Fabas, ô bone: quare nihil tibi *in perâ* eſt edule. Pyth. Da modò. *Nam hîc* apud manes alia ſunt dogmata: didici enim

 nihil

nihil hîc fabis & parentum capitibus inter se simile esse. ÆAC. Porrò, hic est Solon Execestidis filius, & Thales ille: & juxta ipsos Pittacus, aliique: suntque, ut vides, omnes septem. MEN. Hi soli ex omnibus, Æace, læti sunt & hilares. Sed hic, qui cinere oppletur, velut subcineritius panis, qui crebris pustulis efflorescit, quisnam est? ÆAC. Empedocles, Menippe, semicoctus ab Ætnâ monte, huc profectus. MEN. O æripes optime, quamobrem teipsum in Crateres Ætnæ conjecisti? EMP. Insania quædam *impulit me*, Menippe. MEN. Minimè per Jovem, sed inanis gloriæ affectatio, & fastus, & multa dementia. Hæc fecerunt, ut quamvis indignus, unà cum crepidis in carbones redigereris. Veruntamen nihil profuit tibi hoc commentum: deprehensus enim es mortuus. Ubi verò locorum est Socrates, Æace? ÆAC. Cum Nestore & Palamede ille plerumque nugatur. MEN. Cuperem tamen ipsum videre, sicubi locorum hîc esset. ÆAC. Vidésne calvum illum? MEN. Calvi sunt omnes: quare omnium hæc nota fuerit. ÆAC. Simum istum dico. MEN. Et hoc similiter *nota omnium fuerit*, nam & simi omnes sunt. SOC. Méne quæris, Menippe? MEN. Etiam, Socrates. SOC. Quo pacto res Athenis se habent? MEN. Multi juniorum se philosophari profitentur: ac habitum certè ipsum, & incessum, si quis aspiciat, summi philosophi *videntur* admodum multi. Cæterùm vidisti, opinor, qualis ad te venerit Aristippus, & Plato ipse: alter quidem olens unguento, alter Siciliæ tyrannis

adulari

adulari doctus. Soc. At de me quid ſentiunt? Men. Beatus homo es, ô Socrates, quod ad res hujuſmodi attinet. Omnes itaque te admirabilem virum fuiſſe exiſtimant, atque hæc omnia cognoviſſe (decet enim, opinor, verum dicere) cùm nihil ſcires. Soc. Et ipſe hæc illis dicebam: ſed eam rem illi ſimulationem eſſe putabant. Men. Sed quinam iſti ſunt circa te? Soc. Charmides, Menippe, & Phædrus, & Cliniæ filius. Men. Euge, Socrates, quoniam & hîc tuam artem exerces, nec formoſos iſtos negligis. Soc. Quid enim aliud ſuavius agerem? Sed ſi videtur, prope nos recumbe. Men. Non, per Jovem: Crœſum enim & Sardanapalum adeo, eorum accola futurus: quippe mihi videor non parùm riſurus, quum plorantes illos audiam. Æac. Ego quoque jam abeo, nequis mortuorum clam nobis aufugiat. Multa autem poſthac videbis, Menippe. Men. Abeas *licet:* etenim hæc ſufficiunt, Æacé.

MENIPPI ET CERBERI.

MENIPPUS.

HEUS, Cerbere, cognatus enim tibi ſum, cùm & ipſe ſim canis: dic mihi per Stygem, qualis eſſet Socrates, cùm ad vos deſcenderet. Veriſimile eſt autem te, Deus cùm ſis, non latrare modò, ſed etiam humano more loqui, quando velis. Cer. *Cùm* procul *adhuc abeſſet,* Menippe, omnino videbatur conſtanti vultu accedere, nullam prorſus formidinem mortis præ ſe ferens, iiſque, qui extra *ſpecûs* fauces

 ſtabant,

ſtabant, hoc ipſum indicandi cupidus. Verùm ſimul atque deſpexit in hiatum, vidítque caliginem hanc, & ego adhuc cunctantem illum aconito ubi momordiſſem, pede correptum detraxi, infantium ritu ejulabat, ſuóſque deplorabat liberos, & in omnem ſpeciem ſeſe convertebat. MEN. Num igitur ille erat ſophiſta, nec verè contemnebat rem? CERB. Non; cæterùm ubi vidit id eſſe neceſſe, audaciam quandam præ ſe ferebat, quaſi verò volens id eſſet paſſurus, quod pati omninò neceſſe erat, quo ſpectatores *ſcilicet eum* mirarentur. Atque in univerſum, de omnibus hujuſmodi viris verè dicere poſſem; ad fauces uſque *ſpecûs*, intrepidi ſunt & fortes; quæ verò intus *fiunt*, accurata *ſunt* indicia, *quales ſint*. MEN. Ego verò, quomodo tibi viſus ſum deſcendiſſe? CER. Unus mortalium, Menippe, *deſcendiſti*, ut tuo genere dignum erat, & prior te Diogenes: ſiquidem nec coacti, nec intruſi intrâſtis: verùm ultronei, ridentes, atque omnibus plorare denunciantes.

CHARONTIS ET MENIPPI.

CHARON.

REDDE naulum, ſcelеſte. MEN. Vociferare ſiquidem hoc tibi jucundum eſt, Charon. CH. Redde, inquam, *id*, cujus gratiâ te trajeci. MEN. Haudquaquam accipere poſſis ab eo qui non habet. CH. An eſt quiſpiam qui ne obolum quidem habeat? MEN. Sitne alius quiſpiam, equidem ignoro: ipſe certè non habeo.

Ch. Atqui præfocabo te per Ditem, scelefte, ni reddas. Men. Et ego, illiso baculo, tibi caput diffindam. Ch. Frustra ergo navigaveris tam longam navigationem. Men. Mercurius, qui me tibi tradidit, tibi pro me reddat. Merc. Bellè mecum agatur per Jovem, si pro mortuis solvere debeam. Ch. Non recedam a te. Men. Hujus igitur gratiâ subductâ navi commorare, quanquam quod non habeo, quînam accipias? Ch. At tu nesciebas ferre te decuisse? Men. Equidem sciebam, verùm non habebam. Quid igitur? ideóne mihi non erat moriendum? Ch. Solus ergo gloriaberis te gratìs navigâsse? Men. Haud gratìs, ô præclare: siquidem sentinam e hausi, & remum arripui, & vectorum omnium unus non ejulavi. Ch. Ista nihil ad naulum: obolum reddas oportet, neque enim fas est secus fieri. Men. Proinde me rursus in vitam revehe. Ch. Bellè dicis, ut plagas scilicet propter id ab Æaco accipiam. Men. Ergo molestus ne sis. Ch. Ostende quid in perâ habeas. Men. Lupina, si velis, & Hecates cœnam. Ch. Unde nobis hunc canem adduxisti, Mercuri? tum qualia garriebat inter navigandum, vectores omnes irridens & dicteriis incessens, solusque cantillans, illis plorantibus! Merc. Num ignoras, Charon, qualem virum transvexeris? planè liberum, cuíque nihil omnino sit curæ. Hic est Menippus. Ch. Atqui si unquam posthac te recepero— Men. Si receperis? ô præclare, bis quidem recipere non possis.

DIOGENIS ET MAUSOLI.

DIOGENES.

HEUS tu Car, quare es insolens? téque dignum censes qui nobis omnibus anteponare? Mau. Primùm regni quidem nomine, ô Sinopensis, quippe qui Cariæ universæ rex fuerim, & Lydiæ gentibus aliquot imperaverim: tum & insulas nonnullas subegerim, & Miletum usque pervenerim, plerísque Ioniæ partibus subjugatis: ad hæc formosus eram ac procerus, & in bello fortis: & quod *omnium est* maximum, quod in Halicarnasso monumentum super me situm habeo singulari magnitudine, quantum nemo alius defunctorum, neque pari pulchritudine elaboratum possidet, viris & equis pulcherrimo ex saxo ad vivam formam absolutissimo artificio expressis: quale ne fanum quidem facilè quis inveniat. Num injuriâ tibi videor has ob res magnificè de me sentire? Diog. Ob imperium, ais, ob formam, & sepulchri molem? Mau. Ob hæc ipsa, profectò. Diog. Atqui, formose Mausole, neque vires illæ nec forma tibi ampliùs adest: siquem itaque arbitrum de formæ præcellentiâ eligamus, dicere non possim, quamobrem cranium tuum meo præferatur: ambo enim calva sunt & nuda, & dentes pariter ostendimus, atque oculis orbamur, & nares simi-redditi sumus. Cæterùm sepulchrum & sumptuosa illa saxa Halicarnasseis forsitan ostentare liceat, & apud hospites gloriari, magnificam quandam sibi esse structuram: sed

ſed quid tu exinde commodi percipias, vir egregie, nullus video, niſi hoc *commodum* dicas, quòd plus oneris atque nos ſuſtineas, ſub tam ingentibus ſaxis preſſus. MAU. Itanè inutilia mihi ſunt illa omnia? planéque pares erunt Mauſolus ac Diogenes? DIOG. Minimè pares, generoſiſſime: minimè, inquam. Nam Mauſolus ingemiſcet, quoties meminerit eorum quæ in terris *poſſidebat*, ob quæ beatum eſſe ſe exiſtimabat: Diogenes verò irridebit ipſum. Atque ille quidem ſepulchrum ſibi Halicarnaſſi ab uxore Artemiſiâ, & ſorore conſtructum memorabit: Diogenes verò, an corpus ſuum ſepulchrum habeat necne, ignorat: neque enim erat id ipſi curæ. Verùm apud viros excellentiſſimos ſui famam reliquit, ut qui vitam exegerit viro dignam, tuo monumento, Carum abjectiſſime, celſiorem, ac tutiore in loco ſubſtructam.

NIREI, THERSITÆ, ET MENIPPI.

NIREUS.

ECCE profectò Menippus hic judicabit, uter noſtrûm ſit formoſior. Dic, Menippe, annon tibi videor formâ præſtantior? MEN. At quinam eſtis? priùs enim, opinor, ſcire hoc oportet. NIR. Nireus & Therſites. MEN. Uter Nireus, uter Therſites; nondum enim hoc *ſatis* liquet. TH. Jam unum hoc obtineo, quòd tibi ſim ſimilis, neque tantum me præcellas, quantum te cæcus ille Homerus extulit, omnium formoſiſſimum appellans: verùm ego

fastigiato vertice, & glabro, nihilo te deterior visus sum judici. Tu verò, Menippe, quem ducas pulchriorem, vide. Nir. Nimirum me Aglaiæ & Charopis filium, qui pulcherrimus sub Ilium veni. Men. Atqui non item sub terram, ut puto, pulcherrimus venisti: verùm ossa *tua aliorum ossibus sunt* similia: porrò calvaria hoc solummodò a Thersitæ calvariâ dignosci possit, quòd tua facilè frangi potest; molliculam enim, ac neutiquam virilem, hanc habes. Nir. Attamen Homerum percontare, qualis tum fuerim, cùm inter Græcorum copias militarem. Men. Somnia mihi narras: equidem *novi* quæ video, & nunc habes: cæterùm illa nôrunt, qui id temporis vivebant. Nir. Annon & hîc formosior ego sum, Menippe? Men. Neque tu, neque alius est formosus *hoc in loco:* in Orco enim est æqualitas, similésque sunt omnes. Th. Mihi quidem vel hoc sat est.

MENIPPI ET CHIRONIS.

MENIPPUS.

Audivi, ô Chiron, te, Deus cùm esses, mortem tamen optâsse. Ch. Vera hæc sunt, quæ audivisti, Menippe: & mortuus sum, ut vides, cùm potuerim immortalis esse. Men. At quænam te mortis cupido tenuit, rei vulgo nimirum inamabilis? Ch. Dicam tibi viro non imprudenti. Non erat ampliùs mihi jucundum immortalitate frui. Men. Nonne jucundum erat vivere & lucem tueri? Ch. Non erat, Menippe: jucundum enim *quod vocant*, varium

quid-

quiddam & neutiquam ſimplex eſſe, duco: verùm ego cùm ſemper viverem, iiſdem fruerer, ſole, luce, cibo: tum eædem tempeſtates, & quæcunque *in vitâ* contingunt, ordine ſingula *recurrerent*, quaſi alia aliis ſuccedentia, illis ſatiatus fui. Neque enim voluptas in eodem ſemper *fruendo*, ſed in omnium rerum participatione ſita eſt. MEN. Probè loqueris, Chiron. Verùm quo animo fers ea, quæ apud inferos ſunt, ex quo illa eligens *huc* veniſti? CH. Non injucundo, Menippe: ſiquidem æqualitas res eſt prorſum popularis, nihílque intereſt, utrùm in luce quis agat, an in tenebris: præterea, neque ſitiamus quemadmodum apud ſuperos, neque eſuriamus neceſſe eſt: ſed ejuſmodi rerum omnium indigentiâ vacamus. MEN. Vide, Chiron, ne tibi contradicas, & eodem tibi recidat oratio. CH. Quamobrem iſthuc ais? MEN. Quoniam ſi faſtidio tibi fuerit perpetua ſimilitudo & identitas eorum quæ in vitâ fuerunt, cùm hîc itidem ſimilia ſint omnia, eodem modo tibi parient faſtidium, & quærenda erit tranſlatio quædam etiam hinc in aliam vitam, quod arbitror fieri non poſſe. CH. Quid igitur faciendum, Menippe? MEN. *Illud nimirum*, quod puto, & dicunt, ſapientem acquieſcere, & contentum eſſe rebus præſentibus, nec quicquam eorum intolerabile arbitrari.

DIO-

DIOGENIS, ANTISTHENIS, ET CRATETIS.

DIOGENES.

OTIUM nunc agimus, Antisthenes, & tu Crates: quare, cur non rectà abimus ad *ipsum Averni* descensum, ambulatum & visum, quales sint, qui descendunt, & quid quisque eorum agat? Ant. Eamus, Diogenes. Etenim spectaculum hoc jucundum fuerit, quosdam eorum lachrymantes videre, quosdam ut dimittantur supplicantes; nonnullos etiam ægrè descendentes, & cervicem impellente Mercurio, reluctantes tamen & resupinos obnitentes, cùm id minimè expediat. Cr. Ego verò etiam exponam vobis, quæ vidi cum huc per viam descenderem. Diog. Expone, Crates; videris enim quædam risu omnino digna dicturos esse. Cr. Alii quidem multi nobiscum descendebant, inter ipsos autem insignes, Ismenodorus ille dives ex nostris, & Arsaces Mediæ præfectus, & Orœtes Armenius. Ismenodorus igitur (occisus enim fuerat a latronibus in Cithærone, quando Eleusinem, ut arbitror, proficiscebatur) & gemebat, & vulnus in manibus habebat; & tenellos liberos, quos reliquerat, identidem vocabat, & seipsum ob audaciam incusabat: qui cùm Cithæronem transiret, ac loca illa circa Eleutheras deserta, bellisque vastata peragraret, duos tantum servos adduxisset; idque cùm phialas quinque aureas, & quatuor cymbia secum haberet. Arsaces autem (senior enim jam erat, & sanè non

non illiberali facie) barbaro more ægrè ferebat atque indignabatur, quòd pedes incederet, sibique equum adduci volebat: Nam & equus unà cum eo mortuus erat, ambobus unâ plagâ transfossis à Thrace quodam scutato, in eo prælio, quod cum rege Cappadocum ad Araxem *fluvium commissum fuerat:* Nam Arsaces longè ante alios, ut ipse narrabat, cum impetu ruens in hostem, ferebatur: Thrax verò subsistens, & scutum subiens, Arsacis hastam excussit: ipse autem, submissâ sarissâ, tum illum tum equum transverberat. Ant. At, Crates, quomodo hoc unâ plagâ fieri potuit? Cr. Facillimè, Antisthenes. Hic enim viginticubitalem contum prætendens, infesto cursu *in eum* ferebatur: Thrax verò, ubi peltâ *objectâ* plagam excussit, ipsumque cuspis præteriit, in genu procumbens, impetu sarissâ excipit, ac equum sub pectore vulnerat, qui præ furore ac vehementiâ seipsum transadegit; transfoditur autem & Arsaces per inguen penitus usque ad nates. Vides quale hoc fuerit? non viri, sed potiùs equi opus. Veruntamen indignabatur ille, quòd non ampliore quàm alii honore haberetur: volebátque eques *huc* descendere. Orœtes autem privatus *quispiam erat,* pedibus admodum mollis, neque humi stare, nedum incedere poterat: Medis autem omnibus hoc prorsum accidit, ut postquam ab equis descenderint, veluti qui super spinas gradiuntur, summis pedum digitis ægrè incedant. Quamobrem cùm humi spontè prostratus jaceret, neque ullo pacto resurgere vellet, optimus

mus Mercurius sublatum ipsum ad cymbam usque portavit: ego verò ridebam. Ant. Ego verò quum *huc* descendebam, non me cæteris admiscui, sed relictis plorantibus illis, ad cymbam accurrendo, locum præoccupavi, quo commodiùs navigarem. Inter navigandum autem illi quidem flebant & nauseabant, ego verò inter ipsos *sedens* valdè oblectabar. Diog. Tu quidem Crates, & tu Antisthenes, in hujusmodi comites incidistis; mecum autem Blepsias ille fœnerator ex Piræeo, & Lampis Acharnan mercenariorum militum ductor, & dives ille Corinthius Damis, simul descendebant. *Quorum*; Damis a filio veneno interemptus fuerat: Lampis, ob Myrtii meretricis amorem, seipsum jugulârat; Blepsias autem fame miser contabuisse dicebatur: & hoc manifestabat apparendo supra modum pallidus, & exquisitissimè tenuis. Ego verò, quanquam id nôram, interrogabam tamen quo pacto *quisque* mortuus esset. Ac Damidi quidem accusanti filium, non injusta, inquam, ab illo passus es, qui cùm talenta mille haberes coacervata, atque ipse in deliciis viveres annos nonaginta natus, juveni illi, octodecim annos nato, quatuor *tantùm* obolos suppeditabas. Tu verò, Acharnan, (gemebat enim & ille, ac devovebat Myrtium) quid amorem incusas, non autem teipsum? qui hostes quidem nunquam perhorrueris, sed te ultrò periculis offerendo, ante alios in prælium descenderis: a puellâ verò vulgari illâ, fictisque lachrymis ac suspiriis, generosus ille, tu captus fueris. Nam Blepsias prior ipse se accusavit

multæ

multæ dementiæ, quod pecuniam hæredibus nullâ necessitudine sibi conjunctis custodiret, stolidus ille ratus, se perpetuò victurum esse. Cæterùm mihi non vulgarem voluptatem præbuerunt isti tunc temporis gemendo. Sed jam ad fauces sumus. Aspicere nos oportet, & e longinquo contemplari advenientes. Papæ! multi certè & varii, omnesque lachrymantes, præter puerulos istos, & infantes. Sed & senio confecti lugent; quid illud est? num aliquo vitæ philtro tenentur? hunc igitur decrepitum interrogare lubet. Quid ploras tu, tam provectâ ætate mortuus? quid indignaris, optime, idque cum senex adveneris? an rex eras? PAUP. Haudquaquam. DIOG. An verò satrapa? PAUP. Neque illud. DIOG. An igitur dives fuisti; ideòque dolet tibi, relictis multis deliciis, obiisse? PAUP. Nihil tale: sed annos circiter nonaginta natus fui; victum autem tenuem ex arundine & lineâ accepi, summopere egenus, & liberis carens, præterea claudus, hebetíque visu. DIOG. Et vivere cupiebas, talis cùm esses? PAUP. Etiam. Dulcis enim erat lux, mori autem, grave & horrendum. DIOG. Deliras, ô senex, & te adversùs necessitatem juveniliter geris: idque, cùm huic portitori sis coævus. Quid igitur ampliùs de juvenibus dicat aliquis, cùm id ætatis homines vitæ sint cupidi? quos mortem sectari decebat, tanquam eorum quæ in senectute sunt malorum remedium. Sed abeamus, nequis & nos suspicetur fugam moliri, quum *nos hîc* circa fauces versari viderit.

AJACIS

AJACIS ET AGAMEMNONIS.

AGAMEMNON.

SI tu insaniens, Ajax, teipsum interfecisti, nosque omnes occisurus eras, quid Ulyssem accusas? ac paulò antè nec ipsum aspexisti, cum venisset vatem consultum; nec virum commilitonem ac socium dignatus es alloqui; sed superbè admodum, grandíque incedens gressu, præteriisti. AJ. Meritò, Agamemnon. Ille enim mihi furoris hujus autor extitit, ut qui solus mecum de armis judicio contenderit. AG. Volebasne verò adversario carere, & omnes sine pulvere superare? AJ. Etiam, in re hujusmodi: Nam ea armatura, cognationis quodam jure, ad me pertinebat, cùm patruelis esset. Vosque reliqui, quanquam illo multo præstantiores eratis, certamen detrectâstis, & præmium mihi concessistis. At hic Laërtæ filius, quem ego sæpe servavi, quum a Phrygibus concidi periclitaretur, se præstantiorem esse existimabat, & habendis armis magis idoneum. AG. Accusa igitur Thetin, ô generose, quæ, cum tibi armorum hæreditatem, utpote cognato, tradere debuisset, in medium allata illa posuit. AJ. Minimè: sed Ulyssem, ut qui solus vendicaverit. AG. Ignoscendum, Ajax, si, homo cùm esset, appetivit gloriam, rem dulcissimam, cujus gratiâ quilibet etiam nostrûm obire pericula sustinet, quandoquidem & te vicit, idque apud Trojanos judices. AG. Novi ego quæ me damnârit, sed fas non est

de Diis quicquam dicere. Ulyssem igitur non possum non odisse, Agamemnon, non si mihi ipsa Minerva hoc imperet.

MINOIS ET SOSTRATI.

MINOS.

HIC quidem prædo Sostratus in Pyriphlegethontem immittatur: hic autem sacrilegus a Chimærâ discerpatur: tyrannus verò iste, Mercuri, juxta Tityum extensus, a vulturibus & ipse hepar arrodatur: at vos boni in Elysium campum celeriter abite, & beatorum insulas habitate, propterea quòd justè in vitâ fecistis. SOST. Audi, ô Minos, num tibi justa dicere videar. MIN. An ego denuò nunc audiam? annon convictus es, Sostrate, & malus esse, & tam multos occidisse? SOST. Convictus quidem sum: sed vide an justo afficiar supplicio. MIN. Ita sanè: siquidem justum est meritum supplicium pendere. SOST. Attamen responde mihi, Minos: breve enim quiddam interrogabo te. MIN. Dic, dummodo non prolixè, ut & alios jam dijudicare possimus. SOST. Quæcunque in vitâ egi, utrùm volens egi, an verò a Parcâ mihi fuêre destinata? MIN. A Parcâ, scilicet. SOST. Nonne & boni omnes, & nos qui mali videmur, hæc illi subservientes agimus? MIN. Ita profectò Clothoni illi *obsequentes*, quæ unicuique, cùm primùm natus est, agenda injungit. SOST. Si quis igitur ab alio coactus quempiam occideret, cùm ei nequeat contradicere, vi compulsus, verbi gra-

tiâ,

tiâ, quum carnifex aut satelles, ille quidem judici, hic tyranno morem gerens, quemnam cædis istius reum ages? Min. Liquet *reum agendum* judicem, aut tyrannum: siquidem neque ipsum gladium *accusare possumus:* subservit enim hic, tanquam instrumentum quoddam, ad illius *explendum* animum, qui primò causam hanc præbuit. Sost. Benefacis, Minos, quòd huic exemplo *a me prolato* etiam corollarium addas. Siquis autem ab hero missus, aurum vel argentum afferat, utri apponenda est gratia, uter benefactor adscribendus? Min. Is qui misit, Sostrate; minister enim *tantùm* fuit, qui attulit. Sost. Vides igitur quàm injusta facias, dum nos supplicio afficis, qui ministri tantùm fuimus eorum quæ Clotho *nobis* imperavit: & dum hos honore prosequeris, qui aliena bona *solùm* administrârunt? nemo enim dicere poterit, possibile esse iis contradicere, quæ cum omni necessitate imperata fuere. Min. Multa, Sostrate, & alia videas licet, minimè secundum rationem fieri, si diligenter expendas. Veruntamen tu ex hâc quæstione hoc boni consequêris, quòd non prædo solùm, sed etiam sophista quidem, esse videaris. Solve ipsum, Mercuri, nec puniatur ampliùs: cæterùm vide ne & cæteros manes similia interrogare doceas.

MENIP-

MENIPPUS, SEU NECYOMANTIA.

MENIPPUS, PHILONIDES.

MENIPPUS.

SALVE atrium, domúſque veſtibulum meæ. Quàm lubens te aſpicio luci redditus! PH. Nonne hic Menippus eſt Canis ille? non hercle alius, niſi perperam video omnes Menippos. At quid ſibi vult habitûs iſtius inſolentia, pileus, lyra, & leonis exuviæ? eum tamen adeundum eſt. Salve, Menippe, unde nobis advenisti? jamdiu enim in urbe viſus non es. MEN. Venio defunctorum latebrâ & caliginis portis relictis, ubi Pluto a Diis ſeorſim habitat. PH. Hercle, num Menippus nobis clam mortuus eſt, revixítque denuo! MEN. Non: ſed adhuc ſpirantem Orcus me recepit. PH. Quænam cauſa *fuit* tibi novæ hujus & incredibilis peregrinationis? MEN. Juventus me impulit, & major animi audacia (*ſcilicet æquo, vel quàm pro juventute*). PH. Deſine, ô beate, tragicum loqui, & ab iambis deſcendens, ſic ſimpliciter eloquere. Quænam hæc veſtis? quid tibi inferno itinere fuit opus? alioqui neque jucunda, neque delectabilis eſt via. MEN. Neceſſitas, amice, ad Orcum me demiſit, Thebani Tireſiæ manes conſulendi causâ. PH. Heus tu deliras: alioqui non ita conſarcinatus verſibus apud amicos caneres. MEN. Ne mireris, amice: recens enim cum Euripide atque Homero verſatus, neſcio quomodo verſibus impletus ſum, & ſpontanea mihi carmina in os veniunt. Verùm dic mihi, ut ſe res in ter-

ris habent, & quidnam in urbe agunt? Ph. Nihil novi: ſed ut priùs *actitabant*, rapiunt, pejerant, in tabulas ſcribunt pecunias fœnori datas, fœnerantur. Men. O miſeri, atque infelices! Neſciunt enim qualia nuper apud inferos rata habita fuerint, & qualia decreta contra divites ſuffragio facta, quæ per Cerberum fieri non poteſt, ut illi ſubterfugiant. Ph. Quid ais? novi-ne aliquid apud inferos decretum eſt de iis qui hîc *vivunt?* Men. Per Jovem, & quidem multa: ſed ea non licet apud omnes efferre, neque arcana revelare, nequis fortè nos apud Rhadamanthum impietatis accuſet. Ph. Nequaquam, Menippe, per Jovem: ne amico ſermonem hunc invideas. Etenim apud hominem tacendi gnarum, quinetiam ſacris initiatum, ediſſeres. Men. Grave profectò mihi mandas mandatum, & neutiquam tutum: verùm tui utique gratiâ eſt audendum. Ergo decretum eſt divites iſtos, & pecunioſos, qui aurum ſicut Danaën incluſum cuſtodiunt—Ph. Ne priùs, ô bone, quæ decreta ſunt, dixeris, quàm ea percurreris quæ ex te libentiſſimè audirem: quæ *videlicet* deſcensûs cauſa tibi fuerit, quis itineris dux, atque ordine deinceps quæ apud ipſos & videris, & audiveris: veriſimile enim eſt te, cùm eximiarum rerum ſtudio tenearis, eorum quæ viſu vel auditu digna ſunt nihil prætermiſiſſe. Men. Parendum etiam in his tibi eſt: quid enim facias, cum vim inferat amicus? quare primùm tibi ſententiam meam expediam, & quæ res me ad hunc deſcenſum impulerit. Ego cùm adhuc puer eſſem, & audirem Homerum atque Heſiodum

narrantes

narrantes bella & ſeditiones, non ſemideorum modò, ſed ipſorum etiam Deorùm, præterea eorundem adulteria, violentias, rapinas, ſupplicia, patrum expulſiones, fratrum & ſororum nuptias, hæc omnia præclara ducebam, nec obiter ad ea perpetranda movebar. Poſtquam vero cœpi viris annumerari, hîc contrà leges audivi contraria poetis jubentes, nec adulteria committere, nec ſeditiones movere, nec rapinas exercere. In magnâ igitur dubitatione conſtituebar, neſcius quo pacto me gererem. Neque enim Deos unquam putavi adulteria perpetrâſſe, & ſeditiones inter ſe exercuiſſe, niſi de his tanquam bonis judicâſſent; nec legumlatores his contraria juſſiſſe, niſi *id* conducere exiſtimâſſent. Quoniam igitur in dubio eram, viſum eſt mihi hos adire qui philoſophi vocantur, hiſque in manus me dedere, & rogare ut me quâ vellent in re uterentur, vitæque viam aliquam ſimplicem & certam commonſtrarent. Hæc igitur mecum reputans ad eos ivi; imprudens verò me ex fumo in ipſum, ut aiunt, ignem conjeci. Apud illos enim præcipuè ignorantiam majorémque perplexitatem obſervando repperi: adeò ut auream privatorum vitam eſſe ilico mihi indicârint. Alius nimirum uni me voluptati operam dare, & hoc ſolum omni modo perſequi juſſit, hoc enim eſſe felicitatem *dixit*. Rurſum alius omnino labori-incumbere, corpúſque ſordido ſqualidóque cultu ſubigere, omnibus moroſum me præbentem, & probris inſectantem, continuò recitans celebria illa Heſiodi de virtute carmina, & ſudorem, & aſcenſum in montis verti-

cem. Alius pecunias contemnere, earúmque possessionem indifferentem putare jubebat: alius contrà bonas esse ipsas etiam divitias pronunciabat. De mundo verò quid oportet dicere? qui ideas, incorporeas substantias, atomos, & inane, ac talem quandam pugnantium invicem nominum turbam in diem audiebam: & quod omnium eorum, quæ mihi erant gravia, absurdissimum fuit, de maximè contrariis cùm unusquisque diceret, vincentes & probabiles admodum rationes afferebat, ut nec ei qui calidum, nec ei qui frigidum idem esse contenderet, contradicere potuerim, idque cùm probè scirem idem eodem tempore calidum & frigidum esse non posse. Prorsum igitur tale quid accidebat mihi, quale his qui dormitant, scilicet ut modò annuerem, modò verò abnuerem: præterea hoc illis longè erat absurdius; observando enim inveni hos ipsos studiosè sectari ea, quæ ipsorum verbis quam maximè contraria essent. Nam eos, qui *me* pecuniam suaserunt contemnere, videbam ei tenaciter adhærentes, de fœnore litigantes, pro mercede docentes, omnia denique ejus gratiâ tolerantes: eos verò, qui gloriam rejecerunt, illius gratiâ omnia studiosè sectantes; omnesque ferè voluptatem *palam* accusantes, privatim verò ex eâ solâ pendentes. Ergo & hâc spe frustratus adhuc magis indignabar; tacitè tamen meipsum consolans, quòd cum multis & sapientibus & ob prudentiam non parùm celebratis & insipiens essem, & veri adhuc ignarus oberrarem. Tandem mihi horum causâ

aliquando

aliquando pervigilanti visum est ire Babylonem, & a quodam mago ex Zoroastri discipulis & successoribus opem implorare. Audieram siquidem ipsos carminibus & expiationibus quibusdam inferorum portas aperire, & quem voluerint tutò illuc deducere, & iterum postea reducere. Optimum ergo fore existimabam, descensu ab horum quopiam impetrato, Tiresiam Bœotium adire, & ab eo perdiscere, tanquam a vate & sapiente, quænam sit optima vita, & quam aliquis rectè sapiens eligeret. Itaque quantâ poteram celeritate exiliens Babylonem rectà contendi. Quo cùm pervenissem, versor cum quodam ex Chaldæis, sapiente viro, artem divino, comam cano, barbam admodum venerabilem demissam habente: nomen autem erat illi Mithrobarzanes. Orans igitur obsecránsque vix ab eo consecutus sum, ut quâ tandem mercede vellet, mihi dux esset viæ. Tum vir ille me susceptum, primùm quidem dies novem & viginti cum lunâ simul incipiens abluit, ad Euphratem deducens, manè orientem versus solem, longum quendam sermonem mussitans, quem non probè exaudiebam. Nam, velut inepti præcones in certaminibus volubile quiddam & incertum proferebat: cæterùm visus est dæmonas quosdam invocare. Post illam igitur incantationem, cùm in meam faciem ter inspuisset, denuo redivit, obviorum nullum intuens. Cibus quidem nobis glandes erant, potus autem lac atque mulsum, & Choaspis aqua; lectus verò in herbâ sub dio. At postquam hoc vitæ instituto satis me

præparâſſet, mediâ circiter noćte ad Tigridem fluvium me deductum & purgavit, & abſterſit, facéque ac ſcillâ, aliiſque pluribus, magicum illud carmen ſimul ſubmurmurans, luſtravit. Deinde cùm me jam totum incantâſſet, & circumiviſſet, ne à ſpectris læderer, domum reducit, ita ut eram, retrogredientem: reliquâ verò nocte navigationi nos paravimus. Ille igitur magicam quandam veſtem induit, Medicæ multùm ſimilem: me verò his, pileo ſcilicet, leonis exuviis, lyráque inſuper ornavit. Præterea juſſit ut ſiquis nomen me rogaret, Menippum quidem ne dicerem, ſed Herculem, Ulyſſem, aut Orpheum. PH. Quid ita, ô Menippe? neque enim habitûs neque nominum cauſam intelligo. MEN. Atqui perſpicuum quidem illud eſt, ac neutiquam arcanum: cum enim hi ante nos vivi ad inferos deſcendiſſent, exiſtimavit, ſi me illis aſſimilaret, fore ut faciliùs Æaci cuſtodias fallerem, & ſine impedimento tranſirem, utpote notior, cùm tragicè admodum deductus eſſem propter habitum. Jam igitur illuceſcebat dies, quum nos ad fluvium deſcendentes, in ſolvendo e portu occupati eramus. Erant autem ab ipſo parata cymba, & victimæ, & mulſum: & alia, quotquot ad ſacrificia erant utilia. Tum impoſitis omnibus quæ parata erant, nos quoque ſic ingredimur triſtes & humidas lachrymas effundentes. Atque aliquantisper quidem in fluvio ſublabebamur: deinde in paludem navigamus, ac lacum, in quem Euphrates conditur. Ubi autem & illum tranſmiſimus, in deſertam, ſylvoſam & opacam

quandam

quandam regionem devenimus: in quam ubi descendimus (præibat verò Mithrobarzanes) foveam effodimus, & oves jugulavimus, & sanguinem circa foveam aspersimus. At magnus interim facem accensam tenens, voce non amplius summissâ, sed quàm poterat maximâ vociferans, dæmonas simul omnes invocabat, Pœnas, Erinnyas, Hecaten nocturnam, horribilémque Proserpinam, commixtis unà barbaricis quibusdam ignotis & polysyllabis nominibus. Statim ergo tremere omnia, solumque ex incantatione diffindi, ac Cerberi latratus procul audiri: jámque res planè tristis ac mœsta erat. Timuit verò subtus rex mortuorum Pluto. Jam enim *inferorum* pleraque patebant, lacus Pyriphlegethon, & Plutonis regia. Cúmque per hiatum descendissemus, Rhadamanthum præ metu propemodum mortuum reperimus: at Cerberus quidem latravit, & in furorem versus est; statim autem me lyram pulsante, melodiâ ilico sopitus est. Postquam verò ad lacum venimus, parùm abfuit quin non trajiceremus. Jam enim onustum erat, & ejulatu plenum navigium: omnes verò saucii navigabant, hic crus, ille caput, alius aliud aliquid membrum contritum habens, adeò ut ex bello quodam adesse mihi viderentur. At optimus Charon ut pellem leoninam vidit, arbitratus me Herculem esse, recepit, libénsque transvexit, quinetiam egressis viam commonstravit. Tum quoniam in tenebris eramus, præibat Mithrobarzanes, ego autem ponè ipsi adhærens sequebar, donec in pratum *quoddam*

maximum, & asphodelo consitum pervenimus: ibi nos stridulæ mortuorum umbræ circumvolitabant. Paululum verò progressi ad Minois tribunal *tandem* accessimus. Hic autem in sublimi quodam solio sedebat: adstabant autem illi Pœnæ, infesti dæmones, Erinnyes. Ex alterâ verò parte adducebantur ordine multi longâ catenâ vincti; dicebantur autem esse adulteri, lenones, publicani, adulatores, sycophantæ, atque istiusmodi turba quidvis in vitâ turbantium. Seorsum autem divites ac fœneratores accedebant, pallidi, ventriosi, & podagrici, collariam singuli corvúmque duorum talentorum pondo impositum habentes. Nos igitur astantes, & quæ fierent conspeximus; & quæ ad defensionem dicerentur audivimus; accusabant autem eos novi quidam atque admirabiles oratores. Ph. Quinam hi sunt per Jovem? absit enim ut graveris etiam hoc dicere. Men. Nosti-ne umbras istas, quæ in sole a corporibus efficiuntur? Ph. Omnino sanè. Men. Hæ igitur nos, cum mortui sumus, accusant, contra nos testimonium dicunt, & eorum, quæ in vitâ peccavimus, arguunt, atque ipsarum nonnullæ fide admodum dignæ videntur, utpote quæ nobiscum semper versarentur, nostrisque a corporibus nunquam abscederent. Itaque Minos diligentur examinans, quemlibet in sedes impiorum relegavit, pro merito ausorum pœnas subiturum: eósque maximè increpabat, qui divitiis & dignitatibus superbiverant, & tantùm non adorari expectârant, brevem eorum superbiam, fastúmque detestatus: & quòd non me-

minissent se mortales fuisse, & mortalia bona consecutos. At nunc isti splendidis illis omnibus spoliati, divitiis inquam, genere, imperiis, nudi, demissóque vultu adstabant, tanquam somnium quoddam eam, quæ apud nos est, felicitatem in memoriam revocantes; adeò ut ego hæc videns summopere gauderem. Et si quem ipsorum nossem, tacitè ad ipsum accedens, qualis in vitâ fuerat submonui, quantúmque tunc turgeret, quum multi manè ad fores aderant egressum ejus expectantes, pulsi *interim* exclusíque a famulis. At ipse vix tandem illis exoriens, purpureus, aut aureus, aut versicolor, felices & beatos salutantes se facturum putabat, si pectus dextram-ve porrigens daret osculandam. Illi verò audientes ista molestè ferebant. A Minoe verò una quidem ad gratiam judicata fuit lis. Quippe Dionysium Siciliæ tyrannum multis atrocibus *criminibus* a Dione accusatum, & Stoicorum testimonio convictum, Aristippus Cyrenæus interveniens (honore autem illum prosequuntur, plurimùmque apud inferos valet) propemodum Chimeræ alligatum, a pœnâ liberavit, asserens illum multos eruditos pecuniâ adjuvisse. Tum nos a judiciali foro digressi ad supplicii locum pervenimus. Ibi, ô amice, multa erant auditu, visúque miserabilia. Nam & flagrorum strepitus simul audiebatur, & ejulatus eorum qui in igne torrebantur, & tormenta, & catastæ, & rotæ: Chimæra lacerabat, Cerberus dilaniabat; simúlque puniebantur omnes, reges, servi, satrapæ, pauperes, divites, mendici; & eorum, que ausi fuerant,

fuerant, omnes pœnitebat. Nonnullos autem ipſorum conſpicati agnovimus, quotquot *ſcilicet in eorum numero* erant, qui nuper mortui fuerant. Illi verò ſe occulebant, & avertebant; quòd ſi aliquando reſpiceret, id ſerviliter admodum & adulatoriè *faciebant:* idque cùm eſſent in vitâ quàm moleſti putas, & faſtuoſi! at pauperibus dimidium malorum remittebatur; & ubi interquieviſſent, rurſum puniebantur. Quin & illa quoque fabuloſa vidi, Ixionem & Siſyphum, & Phrygem Tantalum malè affectum, & terrâ genitum Tityum: quantus hercle erat! *integrum* enim agri locum ſtratus occupabat. Præteritis etiam hiſce, campum Acheruſium ingredimur; ibique cum ſemideos, tum heroinas, aliamque ſimul mortuorum turbam ſecundùm gentes tribúſque degentem invenimus: alios quidem vetulos ac marcidos, utque dicit Homerus, evanidos: alios verò juvenes, & integros, & maximè quidem Ægyptios, propter diuturnam conditura efficaciam. Verùm quemlibet dignoſcere nequaquam erat facile, omnes enim oſſibus nudatis ſunt reverà ſibi invicem ſimiles: cæterùm ægrè diúque contemplando ipſos cognoſcebamus; jacebant enim alii ſuper alios obſcuri atque ignobiles, nihilque ampliùs eorum, quæ apud nos ſunt pulchra, conſervantes. Cùm igitur multa exiccata cadavera eodem in loco jacerent, & omnia inter ſe ſimilia eſſent, horrendum & per vacuos oculorum orbes intuentia, dentéſque nudos oſtendentia, animi pendebam quonam *ſigno* Therſitem a formoſo illo Nireo

Nireo discernerem, aut mèndicum Irum a rege Phæacum, aut ab Agamemnone Pyrrhiam coquum: nihil enim veterum indiciorum ipsis permanebat, sed similia erunt ossa obscura, & nullum-nomen-inscriptum-habentia, & quæ a nullo ampliùs discerni possent. Hæc igitur spectanti mihi hominum vita longæ cuipiam pompæ persimilis esse videbatur, sumptus autem suppeditare, & ordinare singula Fortuna, iisque qui pompam agunt diversos variósque habitus aptare. Alium siquidem Fortuna diligens regiis ornat insignibus, impositâ tiarâ, additis satellitibus, & capite diademate revincto. Alium verò servi habitu amicit: hunc autem *ita, ut* pulcher sit, adornat, illum deformem & ridiculum efficit; spectaculum enim puto omnigenum esse oportere. Quin habitus quorundam sæpe in mediâ etiam pompâ demutat, non sinens eos ad pompæ finem progredi in ordine illo, quo dispositi fuerant: sed ornatu commutato Crœsum quidem cogit famuli captivique vestes assumere: Mæandrium autem, olim inter famulos incedentem, Polycratis tyrannide vicissim vestit; eóque cultu aliquantisper uti sinit. Verùm ubi pompæ tempus præteriit, tum quisque apparatum reddens, & amictum cum corpore exuens, qualis erat antè, efficitur, nihil a vicino differens. At nonnulli præ inscitiâ, quum instans fortuna ornatum repetit, ægrè ferunt atque indignantur, tanquam propriis quibusdam privati, non autem ea reddentes, quibus ad exiguum tempus utebatur. Quinetiam ex iis, qui in scenam pro-

deunt, te ſæpe vidiſſe exiſtimo hiſtriones iſtos tragicos, qui ſecundùm neceſſitatem dramatum modò Creontes, modò Priami fiunt, & Agamemnones. Et ut idem, ſi ſors tulerit, paulò antè graviter admodum Cecropis aut Erechthei formam imitatus, paulò poſt ſervus a Poetâ juſſus progreditur. Cúmque jam fabula finem habuerit, ipſorum unuſquiſque veſtem illam auro diſtinctam exuens, perſonam deponens, & ex cothurnis deſcendens, pauper & humilis obambulat; nec ampliùs Agamemnon Atrei filius, nec Creon Menœcei filius, ſed Polus Chariclei Sunienſis, aut Satyrus Marathonius Theogitonis filius nominatur. Sic ſe hominum res habent, ut mihi tum ſpectanti viſum eſt. PH. Dic, Menippe, iſti qui hæc ſumptuoſa excelſáque ſepulchra habent in terris, & columnas, & imagines, & titulos, nihilóne apud illos plebeiis defunctis ſunt honoratiores? MEN. Heus tu nugaris: ſi enim Mauſolum ipſum vidiſſes, (Carem illum dico ſepulchro percelebrem) probè ſcio, ridere nunquam deſiiſſes: tam abjectè in occulto loco proſtratus eſt, in reliquâ mortuorum turbâ deliteſcens: tantum fructûs, ut mihi quidem videbatur, ex illo monumento percipiens, in quantum tam grave pondus ſibi impoſitum habens gravabatur. Poſtquam enim, ô amice, Æacus unicuique locum demenſus eſt (dat autem cui maximum, non plus quàm pedem) neceſſe eſt eo contentum jacere, ad menſuram *loci* contractum. Riſiſſes autem, opinor, multo magis, ſi vidiſſes eos, qui apud nos reges fuerunt & ſatrapæ, apud eos mendi-

mendicantes, & propter inopiam vel salsamenta vendentes, vel prima elementa docentes, & a quolibet contumeliis affectos, atque in maxillam cæsos, tanquam vilissima mancipia. Ego quidem Philippum Macedonum conspicatus, ne continere quidem meipsum potui; ostensus enim est mihi calceos attritos in angulo quodam mercede resarciens. Quin & multos alios videre erat in triviis mendicantes, Xerxas aio, & Darios, & Polycratas. Ph. Absurda de regibus ac ferè incredibilia narras. Quid autem Socrates faciebat, & Diogenes, & si quis est sapientium alius? Men. Socrates quidem etiam ibi omnes redarguens obambulat: versantur autem cum illo Palamedes, Ulysses, & Nestor, & si quis alius defunctorum est garrulus: quinetiam adhuc ipsi inflata sunt & tumida crura ex veneni haustu. At optimus Diogenes habitat prope Assyrium Sardanapulum, & Midam Phrygem, & alios quosdam sumptuosos, quos quum ejulantes audit, veterémque fortunam recensentes, & ridet, & delectatur: & sæpe supinus jacens, asperâ admodum & immani voce cantat, ejulatus illorum obscurans, adeo ut viri illi contristentur, cúmque Diogenem ferre non possint, de mutandâ sede deliberent. Ph. Hæc quidem satis. Cæterùm quodnam illud decretum est, quod initio dixeras contra divites esse sancitum? Men. Bene certè admones. Nescio enim quo pacto, cùm hâc de re dicere proposuissem, ab *instituto* sermone procul aberravi. Dum igitur apud eos commorabar, magistratus concionem indixerunt iis

iis de rebus quæ in commune conducerent. Cùm ergo multos concurrere viderem, meipſum mortuis immiſcens ſtatim & ego unus eram eorum qui in concione aderant. Decreta igitur erant & alia, poſtremò verò id quod ad divites attinet. Poſtquam enim iis objecta fuiſſent multa crimina, eáque atrocia, violentia, ſuperbia, faſtus, injuria, ſurgens tandem ex populi primoribus quidam, hujuſmodi decretum legit.

DECRETUM.

QUANDOQUIDEM iniqua multa divites in vitâ perpetrant, rapientes, ac vim inferentes, omníque modo pauperes deſpicientes, Curiæ populóque viſum eſt, ut quum obierint, eorum quidem corpora, ut & aliorum ſceleratorum, puniantur; animæ verò ſurſum in vitam remiſſæ, in aſinos divertant, donec in tali ſtatu quinque & viginti myriadas annorum tranſegerint, aſini ex aſinis nati, onera ferentes, & a pauperibus agitati: dein ut liceat illis vitâ excedere. Hujus ſententiæ autor fuit Cranion, Sceletionis F. Necyenſis, ex tribu Alibantiade. Hoc Decreto lecto, approbârunt *id* Magiſtratus, confirmavit plebs, adfremuit Proſerpina, allatravit Cerberus, ſic enim rata fiunt & authentica, quæ ibi leguntur *decreta*. Et hæc quidem ſunt quæ in concione gerebantur. Ego verò Tireſiam, cujus gratiâ veneram, adii, & cùm omnia narraveram, ipſum ſupplicavi ut mihi diceret, quodnam optimum vitæ genus putaret: hic verò ſubridens (eſt autem vetulus quiſpiam cæcus, pallidus,

pallidus, voce gracili) ô fili, inquit, tuæ perplexitas causam scio a sapientibus istis profectam, non eadem secum sentientibus. Verùm haud fas est id tibi dicere: nam a Rhadamantho interdictum est. Nequaquam, inquam, ô patercule: sed dic quæso, & ne sinas me in vitâ te cæciorem oberrare. Is igitur abducto mihi, & procul ab aliis abstracto, leniter ad aurem inclinans, optima, inquit, & sapientissima est privatorum vita. Quare ab hâc stultitiâ desistens de rebus sublimibus loquendi, & fines & principia speculandi, & vafros hosce syllogismos despuens, atque id genus *omnia* nugas ducens, hoc solum omnino persequere, quomodo res præsentes bene disponens, vitam decurras, ridens plerumque, & de re nullâ sollicitus. Sic locutus iterum in asphodelorum pratum sese corripuit. Ego igitur (etenim jam vesper erat) age, inquam, ô Mithrobarzanes, quid cunctamur, nec rursus ad vitam hinc abimus? ille verò ad hæc, Confide, inquit, ô Menippe, ostendam tibi semitam, quâ celeriter nullóque negotio progrediemur. Cùm autem me in regionem aliâ obscuriorem abduxisset, manu procul ostendens subobscurum & tenue lumen, tanquam per rimam influens, illud, inquit, est Trophonii templum, & inde *ad inferos* descendunt qui ex Bœotiâ *veniunt*. Hâc igitur ascende, & in Græciâ statim eris. Ego igitur hoc sermone gavisus, salutato Mago, ægrè admodum per fauces subrepens, nescio quo pacto in Lebadiam perveni.

CHARON, SIVE CONTEMPLANTES.

CHARON, MERCURIUS, &c.

QUID rides, Charon? aut cur deserto navigio huc in lucem ascendisti, iis, quæ apud superos fiunt, interesse non multum assuetus? CH. Optavi, Mercuri, videre qualia sint ea, quæ in vita *reperiuntur*, quídque homines in eâ faciant: & quibus bonis privati plorent omnes, qui ad nos descendunt. Neque enim ex ipsis quisquam citra lachrymas trajecit. Petens igitur & ipse a Plutone, sicut Thessalus ille Juvenis, ut unum Diem navem deserere me permitteret, in lucem ascendi, ac mihi videor in te opportunè incidisse. Nam me sat scio, simul obambulans circunduces, & singula, ut qui nôris omnia, ostendes. MERC. Non vacat, ô portitor. Nam Jovi summo operam navatum in negotio, quod ad homines pertinet, abeo; ille verò est ad iram præceps, & vereor ne me, si cuncter, caligini addictum vestrum sinat esse totum: vel, quod nuper Vulcano fecit, & me pede correptum e sacro dejiciat limine, quò & ipse pocillatoris munere fungens, claudicando risum præbeam. CH. Me ergo sines in terrâ temere errare, præsertim cum sis amicus, & navigationis socius, & mecum simul internuncius? porrò conveniret, Maiæ fili, illorum te meminisse, quòd te vel sentinam exhaurire, vel remigem agere nunquam jusserim. Sed tu interim, quanquam tam robustos habeas humeros, in

in foris porrectus stertis, aut siquem garrulum defunctum offenderis, cum eo toto navigationis tempore confabularis. Ego verò, quanquam senex, duos remos trahens solus remigo. At te per patrem *obsecro*, charissime Mercuriole, ne me deseras, sed circunducas per omnia quæ in vitâ sunt, ut aliquid conspicatus redeam. Nam si tu me reliqueris, nihil a cæcis differam. Ut enim illi in tenebris titubant & labuntur, sic etiam ego contrà ad lucem cæcutio. Quin tu, ô Cyllenie, mihi in perpetuum memori futuro gratiam hanc impertire. MERC. Res hæc profectò mihi causa verberum erit. Video enim jam circunductionis hujus mercedem non sine pugnorum ictibus omnino nobis futuram: attamen obsequendum est. Quid enim facias, cùm amicus urget? omnia quidem te sigillatim, & ad amussim videre impossibile est, ô portitor: nam hoc multorum annorum foret negotium. Deinde me, ut qui aufugissem, per præconem a Jove publicari oporteret; tibi verò impedimento esset, quo minùs mortis munia peragere posses, adeò ut Plutonis etiam imperio damnum inferres, mortuos longo tempore non deducendo: publicanus quoque Æacus succenseret, quod ne obolum quidem lucrifaceret. Sed jam hoc est dispiciendum, quo pacto præcipua eorum, quæ *ibi* facta sunt, videre queas. CH. Quod optimum *factu fuerit*, Mercuri, ipse videris: ego verò, cùm sim peregrinus, nihil eorum novi, quæ in terrâ geruntur. MERC. In summâ, Charon, excelso quodam loco nobis opus est, ut ex

illo omnia videas. Tu verò si posses in cœlum ascendere, non laboratem: ex speculâ enim accuratè omnia despectares. Sed cùm nefas sit te, qui cùm manibus semper versatis, regiam Jovis conscendere, jam fuerit tempus excelsum aliquem montem disquirendi. CH. Nôsti, Mercuri, quæ nobis dicere soleo quando navigamus? ubi enim ventus cum impetu ingruens in obliquum velum inciderit, & alti tollantur fluctus, ibi vos præ ignorantiâ jubetis velum contrahere, aut pedem paulum remittere, aut cum ipso vento currere: ego autem moneo vos ut quiescatis: *contigit* enim me scire meliora. Tu quoque eodem pacto, cùm nunc sis gubernator, facito quicquid convenire putâris. Ego autem, ficut est vectorum mos, tacitus sedebo, per omnia tibi jubenti obsecundans. MERC. Rectè dicis: ego enim sciam quid sit faciendum, & idoneam speculam inveniam. Num igitur idoneus est Caucasus, aut Parnassus excelsior, aut Olympus ille utroque eminentior? Atqui in Olympum intuens quiddam non futile memini: verùm mecum simul laborare & subservire etiam te oportet. CH. Impera: quibus potero subserviam. MERC. Homerus poëta dicit, Aloëi filios, cùm & ipsi duo essent, & adhuc pueri, olim voluisse Ossam ex fundamentis revellere, & Olympo superimponere: deinde & huic Pelion, ita scalas sufficientes se habituros rati, & viam quâ in cœlum ascenderent. Illi igitur adolescentuli (impii enim erant) pœnas dederunt. Nos autem (non enim in Deorum injuriam hæc molimur)

cur

cur non & ipsi montes alios aliis involventes pariter ædificamus, quo videlicet exactiorem e sublimiori loco prospectum habeamus? CH. Et poterimus, Mercuri, duo *tantùm* cùm simus, sublatum Pelion aut Ossam *alii* imponere? MERC. Quidni, Charon? an nos putas illis infantulis ignaviores esse, idque cùm Dii simus? CH. Nequaquam: sed res ista incredibilem quandam operis magnitudinem habere mihi videtur. MERC. Non injuriâ: ignarus enim es, Charon, & minimè Poëta. At egregius Homerus duobus versibus nobis ilico scansile cœlum reddidit, montibus adeò facilè congestis. Et miror hæc tibi prodigiosa esse videri, cùm videlicet non ignores Atlantem, qui vel solus cœlum ipsum fert, & nos omnes sustinet. Fortè autem etiam de fratre meo Hercule audîsti, ut olim illi ipsi Atlanti successerit, & requiem illi parumper a pondere dederit seipsum oneri supponendo. CH. Hæc etiam audivi: an autem vera sint, tu Mercuri, & Poëta videritis. MERC. Verissima, Charon. Nam cujus rei gratia viri illi sapientes mentirentur? itaque primùm Ossam eruamus, ut carmen nobis præscribit, & ipse architectus Homerus. At super Ossam Pelion frondosas arbores habentem. Vide quàm facilè pariter & poëticè effecerimus! Age igitur conscensâ mole videam, num hæc sufficiant, an verò *plura* superstruere oporteat. Papæ! sumus adhuc in cœli radice: nam ab Oriente vix Ionia & Lydia cernuntur: ab Occidente non ampliùs Italiâ & Siciliâ. Porrò a Septentrione ea, quæ citra Istrum sunt, sola, & inde Creta non apertè

admodum. Quare nobis, portitor, Oeta etiam transponenda, ficuti videtur: deinde Parnassus supra omnes. CH. Sic faciamus. Vide solùm ne opus supra fidem producendo tenuius efficiamus: deinde cum ipso deturbati, Homericam illam ædificandi rationem amaram experiamur contritis *casu* calvariis. MERC. Bono sis animo: omnia enim tutò se habebunt. Oetam transpone: involvatur etiam Parnassus. En revertar iterum: bene habet: omnia conspicio: tu quoque jam ascende. CH. Porrige manum, Mercuri, non enim me parvam molem conscendere facis. MERC. Si quidem omnia videre vis, Charon, non licitum est utrumque, & securum scilicet & videndi cupidum esse. Sed dextram meam prehende, & ne pedem in lubrico ponas cave. Euge, tu quoque conscendisti. Jam verò, siquidem biceps est Parnassus, uterque altero occupato vertice sedeamus. Tu verò in orbem circumspiciens, omnia contemplare. CH. Amplam video terram, & paludem quandam ingentem circumfluentem, & montes, & fluvios Cocyto & Phlegethonte majores: & homines exiguos admodum, & antea quædam ipsorum. MERC. Urbes illæ sunt, quas antra esse existimas. CH. Vides, Mercuri, quàm nihil nobis effectum sit, sed frustra cum Castaliâ Parnassum, & Oetam aliosque montes sede movimus. MERC. Quid ita? CH. Equidem e sublimi nihil exactè despicio. Volebam autem non urbes solùm, ipsosque montes ceu in tabula *depictos* intueri, sed ipsos homines, tum quæ faciunt, tum quæ dicunt:

dicunt: ſicuti quum primùm mihi obviam factus ridentem me conſpexiſti, & interrogâſti quid riderem: audito enim aliquo ſupra modum oblectabar. MERC. Quidnam hoc erat? CH. Quidam ad cœnam a quodam ex amicis invitatus, in craſtinum, inquit, diem certè veniam. Atque interim dum hæc diceret, delapſa tecto tegula, neſcio quo movente, ipſum interemit. Riſi igitur, illo promiſſum non præſtante. Sed nunc ut ampliùs & videam, & audiam, deſcendere tum cenſeo. MERC. Quieſce: nam huic enim incommodo medebor, & brevi te quam maximè perſpicacem reddam, incantatione quâdam ab Homero ad hoc etiam acceptâ. Ac poſteaquam carmina pronunciavero, non ampliùs cæcutire, ſed omnia clarè videre memineris. CH. Dic ſolùm. MERC. Caliginem tibi ab oculis dimovi, quæ prius inerat, ut probè cognoſcas tum Deum, tum etiam hominem. CH. Quid eſt? MERC. Annon jam vides? CH. Maximè: cæcus ſanè Lynceus ille, ſi mecum componatur. Itaque tu prætérea me prædoceas velim, atque interroganti reſpondeas, ſed vin' tu ut te verſibus Homericis interrogem, ut intelligas neque me Homeri verſuum eſſe negligentem? MERC. Unde tu, quæſo, illius aliquid ſcire poſſes, qui nauta ſemper remexque fueris? CHAR. Videſne? hoc opprobrium eſt in artem. At ego cùm illum vitâ functum trajicerem, multa canentem audivi, *quorum* nonnulla etiamnum memini: quanquam tempeſtas non parva tunc nos corripuit. Cum enim cantilenam quanquam

navigantibus non admodum faustam cœpisset canere, quomodo Neptunus nubes coëgit, & injecto tridente tanquam tudiculâ quâdam pontum turbavit, omnesque procellas excitavit: cumque multis aliis turbis carminibus commotis mare permisceret, parùm abfuit quin tempestas & caligo derepentè incumbens, navim nobis subverteret: quando etiam nauseabundus ille cum ipsâ Scyllâ, & Charybde, & Cyclope, bonam carminum partem evomuit. MERC. Non ergo difficile fuit ex tanto vomitu pauca quædam conservare. CH. At dic mihi, Quisnam est ille crassissimus vir, conspicuus, & magnus, omnes supereminens capite & latis humeris? MERC. Milo hic est athleta Crotoniates: ei autem applaudunt Græci, quòd sublatum taurum per medium stadium ferat. CH. At quanto justiùs me laudarent, Mercuri, qui Milonem ipsum paulò post correptum naviculæ imponam, quum ad nos venerit a morte adversariorum invictissimo superatus, nescius quomodo ipsum supplantârit? tum profectò plorabit, recordatus harum coronarum, & applausûs. Nunc verò sese effert in admiratione habitus, propterea quòd taurum gestârit. Quid igitur arbitremur? num sperare ipsum se aliquando moriturum? MERC. Qui fieri potest ut ille nunc mortis in tanto vigore recordaretur? CH. Missum hunc facito, risum nobis haud ita multò post exhibiturum, quando navigabit, & ne culicem quidem, nedum taurum ferre poterit. Sed illud tu mihi dicas velim: quis hic alius vir gravis? Græcus non

 est,

est, ut ex veste videtur. Merc. Cyrus, ô Charon, Cambysis filius, qui imperium, quod olim Medi obtinebant, ad Persas transtulit; idémque Assyrios nuper devicit, & Bablyonem expugnavit, & nunc expeditionem in Lydiam moliri videtur, ut, superato Crœso, omnibus imperet. Ch. At ubi etiam est Crœsus ille? Merc. Illuc oculos in magnam illam arcem deflecte, quæ triplicem habet murum; Sardis illa. Annon Crœsum ipsum jam vides super auream spondam sedentem, & cum Atheniense Solone disserentem? vis auscultemus quidnam dicant? Ch. Maximè sanè. Croe. O hospes Atheniensis, vidisti enim divitias meas, & thesauros, & quantum mihi sit rudis auri, aliámque supellectilem preciosam, dic mihi quem omnium hominum felicissimum esse arbitreris. Ch. Quid tandem dicet Solon? Merc. Bono sis animo: nihil abjectum, ô Charon. Sol. Pauci quidem, ô Crœse, felices sunt; sed ex iis quos novi, Cleobin & Bitonem sacerdotis illius filios arbitror felicissimos extitisse. Ch. Argivæ illius hic dicit, qui nuper unà mortui sunt, postquam subeuntes matrem vehiculo insidentem ad templum usque traxerant. Croe. Esto; habeant illi felicitatis primas: at quis secundus fuerit? Sol. Atheniensis ille Tellus, qui & bene vixit, & mortem pro patriâ oppetivit. Croe. Ego verò, sceleste, non tibi videor felix esse? Sol. Nondum, ô Crœse, novi, nisi ad vitæ finem perveneris. Hujusmodi enim rerum mors est accuratus index, & vita feliciter ad metam usque transacta. Ch. Optime Solon, quòd nos-

tri non oblitus sis, sed cymbam ipsam hæc quæ decernat, dignam censeas. Sed quinam sunt illi, quos Crœsus emittit, & quid humeris gestant? Merc. Lateres aureos Apollini dicat, pro mercede oraculi, quo paulò post peribit. Est autem vir ille vatibus mirificè deditus. Ch. Num splendidum illud est aurum, quod cum rubore refulget subpallidum? illud enim nunc primùm video etsi semper audiverim. Merc. Hoc, ô Charon, est illud celebre nomen, & de quo acriter pugnatur. Ch. Atqui non video quid boni ipsi insit, nisi hoc solùm, quod, qui ferunt, eo graventur. Merc. Nescis quot propter ipsum bella, quot insidiæ, quot latrocinia, quot perjuria, quot cædes, quot vincula, quot longinquæ navigationes, quot mercaturæ, quot servitutes? Ch. Propter hoc, Mercuri, quod parum æri præstat? nam æs novi, ut qui a singulis vectoribus obolum, ut nôsti, exigam. Merc. Maximè. Verùm æris magna est copia: ideóque non multo in pretio ab ipsis habetur; hujusce verò parùm ex loco valde profundo metallorum-scrutatores effodiunt. Hoc tamen ex terrâ, ut & plumbum & reliqua metalla, *provenit*. Ch. Gravem hominum stultitiam narras, qui pallidam, gravemque possessionem amore tanto prosequuntur. Merc. At Solon quidem ille, Charon, eam, ut vides, non amare videtur: Crœsum enim ipsum deridet, & jactantiam Barbari, &, ut mihi videtur, vult ipsum aliquid percontari. Quamobrem auscultemus. Sol. Dic mihi, Crœse, putásne Pythium his lateribus *ad* rem aliquam indi-

gere?

gere? CROE. *Puto*, per Jovem. Nullum enim istiusmodi donarium Delphis habet. SOL. Putásne ergo fore ut Deum reddas beatum, si inter cætera etiam lateres aureos possideat? CROE. Quidni? SOL. Magnam mihi, Crœse, paupertatem in cœlo dicis, si Deos aurum ex Lydiâ accersere oporteat, si fortè desiderent. CROE. Ubi enim tantum proveniat aurum quantum apud nos? SOL. Dic mihi, num & ferrum in Lydiâ nascitur? CROE. Nullum prorsus. SOL. Ergo potiore *metallo* indigetis. CROE. Quînam ferrum est auro præstantius? SOL. Si respondere citra stomachum velis, *facilè* intellexeris. CROE. Interroga, Solon. SOL. Utrum præstantiores sint qui alios servant, an qui ab illis servantur? CROE. Qui servant profectò. SOL. Si igitur Cyrus, ut quidam perhibent, Lydos adoriatur, aureósne gladios exercitui facies, an ferrum tunc erit necessarium? CROE. Ferrum certè. SOL. Et nisi hoc comparaveris, abierit tibi aurum ad Persas captivum. CROE. Bona verba quæso. SOL. Absit ut hoc accidat. At saltem videris ferrum confiteri præstantius. CROE. Ferreos ergo lateres me Deo consecrare, aurum autem denuo revocare jubes? SOL. At ne ferro quidem ille indiguerit. Sed sive æs, sive aurum dicâris, aliis sanè, nimirum Phocensibus, aut Bœotis, aut Delphis ipsis, aut denique alicui tyranno aut prædoni possessionem, & insperatum lucrum suspenderis; Deus autem tuos aurifices parùm curat. CROE. Tu semper divitias mihi oppugnas, & invides. MERC. Non fert Lydus

iste,

iste, ô Charon, hanc loquendi libertatem & veritatem verborum: sed inusitata res illi videtur pauper homo non timens, sed quod in mentem venit liberè dicens. Atqui Solonis paulò post meminerit, quum ipsum oportuerit captum supra rogum a Cyro adduci. Nam Clothonem audivi nuper legentem, quæ cuique destinata sunt, in quibus & hæc erant scripta, fore ut Crœsus a Cyro caperetur, Cyrus autem ipse a Massagetide illâ occideretur. Viden' Scythicam illam quæ equo albo provehitur? Ch. *Video*, per Jovem. Merc. Tomyris illa est, quæ ubi Cyri caput propriâ manu absciderit, in utrem sanguine plenum intrudet. Sed & filium ejus adolescentem vides? Cambyses ille est. Hic post patrem regnabit, ac ubi millies in Libyâ & Æthiopiâ rem malè gesserit, furore tandem correptus, occiso Api morietur. Ch. O rem multo risu dignam! Sed quis jam ipsos aspicere sustineat, quum alios ita contemnunt? aut quis crediderit fore ut ille brevi sit captivus, hic autem in utre sanguine pleno caput habeat? Quis verò ille est, Mercuri, cui pallam purpuream fibula nectit, quem diadema decorat, cui coquus, pisce dissecto, annulum tradit, in insulâ circumfluâ? certè se regem esse gloriatur. Merc. Fellè Homeri versus ad res alias transfers, Charon. Cæterùm Polycratem Samiorum tyrannum vides, qui se ab omni parte felicem putat. Hic tamen ipse ab assistente famulo Mæandrio proditus Orœtæ satrapæ, miser sanè momento felicitate suâ lapsus, cruci suffigetur. Nam hæc quoque ex Clothone audivi.

CH. Præclarè, ô Clotho, generosè ipsos, ô optima, ipsorúmque capita trunca & crucifige; ut se homines esse sciant. Interim verò in sublime evehantur, ut qui ab eminentiore loco majore cum dolore decidant. Ego autem tum ridebo, quum horum ûnumquemque in navigio nudum agnovero, nec purpuram, nec tiaram, nec solium aureum afferentem. MERC. Ita certè res illorum se habebunt. Multitudinem autem vides, Charon, quorum alii navigant, alii bellum gerunt, alii judicio contendunt, alii agriculturam exercent, alii fœnerantur, alii mendicant? CH. Variam quandam video turbam, vitamque perturbationum plenam, eorumque urbes apum examinibus similes: in quibus proprium quisque aculeum habet, & vicinum pungit: pauci autem ex ipsis velut crabrones inferiorem agunt ferúntque. At agmen illud, quod ipsos clanculum circumvolitat, quinam sunt? MERC. Spes, ô Charon, metúsque, amentia, voluptates, avaritia, iræ, odia, & id genus alia: ex his autem ignorantia infra iis est permixta: atque in eâdem republicâ, per Jovem, degit odium, ira, zelotypia, imperitia, hæsitantia, avaritia. Metus autem, & spes super volitantes, ille quidem illapsus horrorem incutit, aliquando verò *tantùm* trepidare facit; spes verò supra caput sublatæ, ubi maximè quispiam eas prehensurum se putat, avolant, hiantes illos deserentes: quod & ipsum Tantalum apud inferos ex aquâ pati vides. Quod si oculos intenderis, Parcas etiam in alto conspicies unicuique fusum volventes, unde accidit, ut omnes

ex

ex tenuibus pendeant filis. Viden' tanquam aranearum stamina in unumquemque a fusis descendentia? CH. Equidem tenuissimum unicuique filum ut plurimum video innexum, hoc quidem illi, illud verò alii. MERC. Rectè, portitor; illi enim destinatum est, ut ab hoc, huic ut ab alio interficiatur; atque ut hic sit illius hæres, cujus filum fuerit tenuius, ille verò, hujus: nam tale quid hæc connectio denotat. Vides ergo cunctos a tenui *filo* suspensos? atque hic quidem in altum attractus, sublimis est: verùm paulò post decidens dirupto filo, ubi sustinendo ponderi non ampliùs par fuerit, ingentem strepitum edet: alius autem qui paululum tantùm a terrâ fuerit subductus, tametsi cadat sine strepitu, jacebit, casu vix etiam a vicinis exaudito. CH. Hæc, ô Mercuri, sunt prorsus ridicula. MERC. Atqui ne verbis quidem dignè possis exprimere quàm sint ridicula, Charon: in primis nimia ipsorum studia, quódque inter spes intereant ab optimâ morte arrepti, cujus nuncii & ministri, ut cernis, permulti sunt: epiali, febres, tabes, pulmonum inflammationes, gladii, latrocinia, cicutæ, judices, tyranni. Et horum omnino nihil ipsos subit dum rebus secundis utuntur: at ubi rem malè gesserint, illud *in ore* frequens, ohe, hæ, hæ, hei mihi, hei mihi. Sed si statim ab ipso initio perpenderent mortales se esse, & postquam in vitâ breve tempus fuerint peregrinati, relictis in terrâ rebus omnibus, tanquam ex somnio migraturos, prudentiùs profectò viverent, et mortui minùs angerentur.

Nunc

Nunc autem, quia præsenti rerum statu sperant se in perpetuum usuros, quum irruens minister vocârit, & abduxerit irretitos febre, vel tabe, abduci se ægrè ferunt, quòd se nunquam ab his avulsum iri expectârint. Quid enim non faceret ille, qui domum diligenter ædificat, & operarios urget, si noverit fore ut ea perficiatur, ipse verò, statim cum fastigium imposuerit, decedat, relictâ hæredi *domûs* ipsius fruitione, cum in illâ ipse ne cœnaverit quidem miser? ille verò qui lætatur, quod sibi masculam prolem uxor peperit, ideóque amicos convivio excipit, & patris nomen imponit, si sciret puerum septem annos natum periturum, nunquid tibi videretur gaudere quòd is sit natus? Sed *hujus rei* causa est, quod in eum intuetur, qui propter filium beatus est, athletæ scilicet patrem, qui Olympia vicerit: vicinum autem, qui nati cadaver effert, non respicit, neque novit, de quali sibi filio penderet. Quin & eorum qui de finibus dissidet vides quanta sit turba, & eorum qui pecunias coacervant: deinde, *ut*, antequam fruantur, ab irruentibus illis quos dixi nunciis & ministris avocantur? CH. Video isthæc omnia, & apud me cogito, quid sit ipsis in vitâ jucundum, aut quidnam sit illud, quo privati *tantopere* stomachantur. MERC. Quinetiam siquis eorum reges aspiciat, qui felicissimi esse videntur, extra instabilitatem &, ut dicis, ambiguum fortunæ constituti, tristia plura quàm jucunda comperiet iis adesse, metus, tumultus, odia, insidias, iras, adulationes: inter hæc enim omnes

nes versantur. Omitto luctus, morbos, animique perturbationes, ipsis æquè atque *vulgo* dominantes: quum verò hæc sint regum mala, opportunum est colligere qualia sint privatorum. Ch. Volo, igitur, Mercuri, dicere tibi, cuinam assimiles mihi videantur homines, eorúmque vita omnis. Vidistin' aliquando bullas in aquâ, e scatebrâ cum impetu defluente exurgentes: flatuosos dico tumores ex quibus spuma cogitur? illarúm igitur, aliæ quidem parvæ sunt, & protinus ruptæ evanescunt: aliæ verò diutiùs durant, & accedentibus ipsis aliis, hæ valdè inflantur, ac in maximum tumorem attolluntur: ac tandem aliquando illæ etiam prorsus ruptæ-dissolvuntur: neque enim secus fieri possit. Hæc tibi hominum vita. Omnes quidem flatu intumescunt, hi majores, illi minores; atque alii momentaneam & citò deficientem inflationem habent: alii simul atque constituti sunt, deficiunt. Itaque omnes rumpi necesse est. Merc. Tu nihilo deterius Homero, Charon, *hominum vitam* similitudine expressisti, qui genus ipsorum foliis assimilat. Ch. At tales quamvis sint, vides tamen, Mercuri, qualia faciant, inter se avidè de imperiis, honoribus & possessionibus decertantes; quibus omnibus relictis, ipsos unico cum obolo ad nos venire oportebit. Vis igitur, siquidem in edito loco sumus, maximâ voce acclamando eos adhorter, ut ab inanibus laboribus abstineant, vivantque mortem ob oculos semper habentes, dicens, O stulti, quid hæc tanto studio prosequimini? desistite a

laboribus;

laboribus: neque enim in perpetuum vivetis: nihil ex iis, quæ hîc præclara *habentur*, est sempiternum, nec aliquid horum moriens quisquam secum auferre possit: sed necesse est illum nudum abire; domum autem, & agrum, & aurum, esse semper aliorum, & dominos subinde mutare. Hæc & id genus alia si ipsis ex loco unde exaudiri possent, inclamarem, annon putas homines multum emolumenti percepturos, & longè prudentiores fore. MERC. O beate, nescis ut ipsos ignorantia & error affecerit, adeò ut ipsorum aures ne terebro quidem ampliùs aperiri queant: tam multâ cerâ eas obturârunt: Qualiter Ulysses sociis fecit, veritus ne Sirenas exaudirent. Quînam igitur audiri possint, etsi tu clamando disrumparis? nam quod apud vos Lethe potest, id hic ignorantia præstat: veruntamen ex ipsis pauci sunt qui cerâ in aures non receptâ in veritatem inclinant, acutum in rebus cernunt, & quales sunt intelligunt. CH. Nonne igitur illis inclamem? MERC. Illis ea quæ sciunt, dicere fuerit supervacaneum. Vides ut a plebe semoti rident quæ fiunt, eaque nullatenus probant, at liquet eos jam a vitâ ad vos fugam meditari? etenim etiam odio sunt *illis*, quòd illorum inscitiam redarguant. CH. Bellè, ô generosi, verùm perpauci sunt, ô Mercuri. MERC. Etiam hi sufficiunt. Sed jam descendamus. CH. Unum adhuc scire opto, Mercuri, quod cùm mihi ostenderis, absolutam narrationem effeceris; reconditoria scilicet corporum, ubi defodiunt, intueri. MERC. Monumenta, Charon, & tumulos, & sepulchra hæc vocant. At videsne ante

ante urbes aggeres illos, columnas, & pyramidas? illa omnia sunt cadaverum receptacula, & loca in quibus corpora conservantur. CH. Quid ergo saxa illi coronant, unguentóque inungunt? alii verò præ tumulis constructo rogo, ac foveâ effossâ, sumptuosas illas exurunt cœnas, & vinum mulsúmque (quantum conjicere est) in ipsas foveas infundunt? MERC. Nescio, portitor, quid hæc ad eos *pertineant*, qui apud inferos *agunt*. Verùm illis persuasum est umbras ab inferis reduces nidorem & fumum, quantum possunt, circumvolitando cœnare, & ex foveâ mulsum bibere. CH. Illos adhuc bibere & edere, quorum aridissimæ sunt calvariæ? atqui ridiculum est me tibi hæc dicere, cùm eos quotidie deducas; ac proinde scias an postquam semel terram subierint, denuo redire queant. Quinetiam ego prorsus ridicula paterer, Mercuri, non paucis occupatus negotiis, si oporteret ipsos non solùm deducere, sed etiam bibituros reducere. O stulti quæ *vestra* hæc amentia? qui nescitis quàm longo finium intervallo res mortuorum & viventium sint discretæ, & qualia sint ea, quæ apud nos sunt, & æquè mortuum esse illum qui sepulchro caret, & qui sepulchrum nactus est: in æquali honore esse Irum & regem Agamemnonem; Thersitæ autem æqualem esse Thetidos pulchricomæ filium, quin & omnes esse similiter mortuorum imbecilla capita, nudosque siccosque in prato asphodelo pleno. MERC. Hercule, quàm multa ex Homero hauris! sed quia submonuisti me,

volo tibi sepulchrum Achillis ostendere. Vides illud quod mari adjacet? Sigeum quidem illud Trojanum est; e regione autem conditus est Ajax in Rhœteo. CH. Non magna sunt monumenta, Mercuri. Verùm insignes illas urbes mihi jam commonstra, de quibus *tam magnifica* in inferis audimus; Ninum Sardanapali urbem, Babylonem, Mycenas, Cleonas, ipsúmque Ilium; multos enim inde profectos me trajecisse memini, adeò ut per totos decem annos neque subduxerim navigium, neque refecerim. MERC. Ninus quidem, ô Portitor, jàm est eversa, ita ut ne reliquum quídem sit ejus vestigium; nec ubi olim sita fuerit, facilè dixeris. Babylon autem illa est, quæ est bene turrita, quæ murorum magnum ambitum *habet*, haud ita multò post desideranda & ipsa, quemadmodum nunc Ninus. At Mycenas & Cleonas me tibi commonstrare pudet; ac in primis Ilium. Præfocabis enim, sat scio, Homerum ubi descenderis, propter magniloquentiam versuum. Verùm olim felices fuerunt: nunc autem etiam hæ interierunt. Moriuntur enim etiam urbes, ô Portitor, quemadmodum homines: quódque mirabilius, & integri fluvii. Inachi utique ne sepulchrum quidem adhuc in Argo superest. CH. Vah, quæ laudes, Homere, & quæ nomina! sacram viisque patentibus Ilium; tum Cleonæ bellè structæ. Sed interim dum loquimur, quinam illi sunt qui dimicant, aut cujus rei causâ se mutuò cædunt? MERC. Argivos vides & Lacedæmonios, ô Charon, atque semimor-

tuum illum ducem Othryadem, suo ipsius sanguine tropæum inscribentem? cujus rei causâ, Mercuri, *captum est* illis hoc bellum? MERC. Pro ipsomet agro, in quo pugnant. CH. O amentiam hominum, qui nesciunt, se etiamsi *nunc* eorum quisque totam Peloponnesum possideat, vix tamen pedis unius locum ab Æaco accepturos. Hunc autem agrum aliàs alii colent, hoc tropæo a fundamentis ab aratro sæpe revulso. MERC. Hæc quidem hoc modo se habebunt. At nos jam hinc descendamus, ac montibus his in suas sedes repositis, discedamus: ego sicut missus sum, tu ad navigium. Ad te autem brevì veniam & ipse mortuos deducens. CH. Bene fecisti, Mercuri; benefactor semper adscribêris, fructûs enim aliquid percepi tuâ ope ex hâc peregrinatione. O qualia infelicium hominum sunt negotia, reges, lateres aurei, hecatombæ, prælia! De Charonte autem ne verbum quidem.

DE SOMNIO, SEU VITA LUCIANI.

DESIERAM nuper in ludum-literarium ire, quum jam ætate pubertatem attigissem; pater autem meus, quâ me arte instrueret, unà cum amicis dispiciebat. Plerísque tandem videbatur Humanitas & labore multo, & tempore longo, & sumptu non exiguo, fortunâ denique splendidâ opus habere: nostras autem faculta-

tes

tes cùm tenues esse, tum celere quoddam auxilium postulare. Quòd si mechanicam aliquam artem didicissem, fore primùm ut ipse statim necessaria vitæ ab arte acciperem, neque ampliùs domi id ætatis alerer: deinde ut non multò post patrem exhilararem, semper domum referendo quod ab arte proveniret. Hinc secundæ consultationis caput est propositum, quænam ars optima, & ad discendum facillima, & libero homine digna esset: quæque promptas præberet suppetias, quæstumque perpetuum. Proinde alio, pro suâ unoquoque sententiâ aut experientiâ, aliam laudante; pater avunculum intuens (aderat enim is quoque statuarius optimus, & sculpendo & poliendo marmore inter probatissimos artifices habitus) non fas est, inquit, aliam artem, te præsente, potiorem haberi. Quare hunc abduc (meque demonstrabat) & acceptum doce lapidum artificem probum, & compositorem, & statuarium esse. Potest enim & hoc, naturâ, ut scis, præditus felici. Conjiciebat autem hoc ex ludicris illis quæ ex cerâ *confeceram:* quum enim a præceptoribus dimissus fui, ceram abradens vel boves, vel equos, vel etiam homines effinxi ad veram imaginem, ut patri videbar: quorum causâ plagas a præceptoribus accipiebam. Tunc autem propter ingenii dexteritatem etiam hæc laudi erant: & ex illâ fingendi arte, *omnes* spem bonam concipiebant, fore ut brevì artem hanc addiscerem. Simul igitur idonea videbatur dies auspicandæ arti: & tradebar avunculo, rem per Jovem non ini-

quo admodum animo ferens; imò mihi lusum quendam non insuavem habere videbatur, quodque ad nominis apud æquales illustrationem faceret, si & Deos sculpere, & parva quædam simulachra, cum mihi, tum quibus vellem adornare posse comperirer. Ac tum primùm illud, quod auspicantibus usu venire solet, accidebat. Celtem enim mihi tradens avunculus tabulam in medio jacentem leniter attingere jussit, tritum illud admonens, Principium totius facti dimidium. Cæterùm me durius præ imperitiâ impingente, tabula frangitur. Ille autem indignatus, arreptâ scuticâ quæ prope jacebat, nequaquam mansuetè, neque adhortantis-modo, me initiavit: adeò ut lachrymæ artis proœmium mihi *fuerint*. Inde igitur aufugiens domum redivi, continuò ejurans, lachrymisque oculos habens oppletos, & commemoravi scuticam, vibices ostendi, nimiámque illius crudelitatem accusavi, addens hæc illum invidiâ fecisse, ne se in arte superarem. Cùm stomachata, & multis *verbis* fratri conviciata fuisset mater, ubi nox supervenit, lachrymosus adhuc, totámque noctem cogitabundus decubui. Atque hactenus quidem ridicula sunt, & puerilia quæ diximus: quæ verò deinceps audietis, nequaquam contemnenda sunt, ô viri: sed quæ auscultandi percupidos auditores requirant. Nam ut ex Homero dicam; in somnis mihi venit divinum quoddam insomnium almam per noctem, adeò evidens, ut a veritate nihil distaret. Nam etiam adhuc post tantum temporis intervallum, &

visorum

viſorum ſpecies oculis inhæret, & auditorum vox auribus inſonat; tam plana fuerunt omnia. Duæ mulieres manibus prehenſum ad ſe utraque valdè violenter ac potenter me trahebant: unde parum abfuit quin me diſcerperent, inter ſe contendentes. Nam modò altera ſuperabat, & propemodum me totum tenebat, modò contrà ab alterâ tenebar. Tum in ſe invicem clamabant ambæ: hæc quidem quòd ſuum vellet me poſſidere: illa verò quòd aliena nequicquam ſibi vendicaret. Erat autem altera operaria, virilis, & ſqualida coma, manus callo habens obductas, ſuccincta veſte, marmoreo pulvere oppleta, qualis ſolebat eſſe avunculus, quum lapides poliebat. Altera facie venuſta, habitu decoro, & veſte modeſta. Poſtremò autem permittunt meo judicio, utrâ earum converſari malim. Et *ſic* prior illa dura, & virilis locuta eſt: Ego, chare puer, Statuaria ſum, quam heri diſcere cœpiſti, tibi familiaris, & a parentibus cognata: nam & avus tuus (addito avi materni nomine) fuit marmorarius, ambo præterea avunculi tui: & per nos valdè claruerunt. Quod ſi velis tricis, ac nugis, quæ ab illâ *profluunt*, alterâ indicatâ, abſtinere, me verò ſequi, mecúmque degere, primùm generosè educaberis, & robuſtos humeros habebis, ab omni quoque invidiâ alienus eris: nec patriâ tuíſque familiaribus unquam relictis, in terras alienas abibis. Omnes te laudabunt non ob ſtudia quidem *ſed ob facta.* Neque verò corporis vilitatem, aut veſtium ſorditiem averſeris. Nam ab his initiis profectus etiam Phidias ille Jo-

vem spectandum exhibuit, & Polycletus Junonem fabricavit, Myron laudatus est, & Praxiteles in admiratione fuit: & nunc idcirco hi cum Diis illis adorantur. Quòd si horum unus evadas, quomodo ipse apud omnes homines celebris non fias? patrem certè beatum efficies, & patriam omnibus spectabilem reddes. Hæc atque his etiam plura balbutiens, & plurima barbarè pronuncians, dixit Statuaria, summo studio omnia connectens, & mihi persuadere contendens. Sed non ampliùs memini: maxima enim pars mihi excidit. Cæterùm ubi tandem finem fecit *loquendi*, altera in hunc modum orditur. Ego verò, ô fili, Humanitas sum, jam consueta & nota tibi, tametsi nondum ad finem periculum mei feceris. Quanta utique bona sis adepturus, si statuarius evadas, illa modò exposuit. Nihil scilicet aliud nisi operarius eris, corpore laborans, & in hoc totam vitæ spem positam habens, obscurus ipse degens, modicum & minimè generosum quæstum faciens, abjecto animo, tenuis reditibus: nec amicis advocatus, nec inimicis formidabilis, nec civibus beatus prædicandus: sed illud solùm *videlicet* opifex, & e vulgo unus, præstantiorem te semper formidans, dicendi peritum colens, & leporis vitam vivens, potentioris denique lucrum existens. Quòd si etiam Phidias, vel Polycletus fias, & præclara multa opera edas, artem quidem laudabunt omnes, nemo tamen ex aspicientibus, si modò sanæ sit mentis, tibi similis esse optârit. Qualis-qualis enim fueris, *nihil nisi* mechanicus artifex, ma-
nibus

nibus operans, & ex iisdem victum quæritans censeberis. At contrà, si mihi obsequêris, primùm tibi multa priscorum virorum *præclara* opera, actáque admiratione-digna ostendam. Deinde & orationes eorum exponendo, & omnium, ut ita dicam, expertum te reddendo, etiam animum, quæ tui pars est præcipua, multis ac præclaris ornamentis exornabo, Modestiâ *scilicet*, Justitiâ, Pietate, Mansuetudine, Æquitate, Prudentiâ, Fortitudine, Amore honesti, rerum gravissimarum Desiderio. Hæc enim sunt verè incorrupta animi ornamenta. Præterea neque quicquam ante-actum te latebit, neque quod in præsentiâ est agendum, imò, quæ fieri decet, me duce prospicies. In summâ, omnia quæcunque seu divina sunt, seu humana, brevì te docebo. Et qui nunc pauper es, istius nescio cujus filius, qui de adeò illiberali arte nescio quid consultas, haud multò post, omnium æmulationem & invidiam excitabis, dum honoribus afficiêris, laudibus evehêris, & ob res præstantissimas celebraberis, & ab iis, qui genere atque opibus antistant, conspiciêris: & vestem hujusmodi geres (ostendens suam, gerebat autem admodum splendidam) & magistratu primóque consessu dignus existimaberis. Et si aliquò peregrè proficiscaris, etiam in alienâ terrâ non ignotus, nec obscurus eris. Talibus ego te insignibus vestiam, ut te aspicientium unusquisque proximè astantem impellendo commovens, digito te monstraverit, & *Hic est Ille*, dixerit. Quin siquid studio dignum sit, quod aut amicis,

aut universæ accidet civitati, omnes in te oculos convertent: tum siquid dixeris, plerique hiantes auscultabunt, admirantes & prædicantes te beatum ob dicendi vim, *tuumque* patrem ob prolis felicitatem. Et quod aiunt, ex hominibus aliquos immortales reddi, hoc tibi conferam. Etenim si ipse ex hâc vitâ decesseris, nunquam desines conversari doctis, & consuetudinem habere cum optimis quibusque. Demosthenem illum vides, cujus filius fuerit, & quantum ego illum reddiderim? vides & Æschinem, qui tympanistriæ filius erat, attamen propter me etiam Philippus *rex* illum coluit? ipse quoque Socrates ab istâ Statuariâ educatus, simul atque meliora intellexit, illâque relictâ ad me transfugit, audis ut ab omnibus decantetur? at si reliqueris tantos talesque viros, res *adeò* splendidas, orationes *tam* graves, habitum tam decorum, honorem, famam, laudem, primos consessus, potentiam, imperia, denique & illam, quam ex dicendo consequêris gloriam, &, quâ te omnes ob prudentiam prædicabunt, felicitatem, tuniculam sordidam indues, habitumque servilem assumes, vectes, cæla, celtes, scalpra in manibus habebis, deorsum inclinatus in opus, humilis, humiliáque tentans, omnibus denique modis abjectus: nunquam autem caput erigens, virile nihil liberúmque cogitans; sed tantùm providens, ut opera tua concinna & decora fiant; at ut ipse concinnus & ornatus sis minimè curans, imò saxis ipsis contemptiorem te reddens. Dum hæc diceret, ego, non expectato fine orationis, surgens sententiam

pro-

pronunciavi: & relictâ illâ deformi & operatrice, ad Humanitatem læto animo transivi: eóque magis quia mihi venit in mentem scutica, & *avunculum* plagas non paucas mihi statim auspicanti pridie inflixisse. Tum illa relicta primùm indignabatur, manusque complodebat, ac dentibus infrendebat: tandem quemadmodum Nioben audimus, diriguit, & in saxum mutata est. Quod si mirabilia passa fuerit, ne fidem negetis; nam res mirabiles nobis repræsentant somnia. Altera autem ad me respiciens, proinde, inquit, te ob hanc justitiam remunerabor, quoniam causam hanc rectè judicâsti. Jam veni, currúmque hunc ascende (monstrato curru, *qui* ab alatis equis Pegaso similibus *trahebatur)* ut videas qualia & quanta ignoraturus fuisses, si me non secutus esses. Cæterùm postquam ascendi, hæc quidem agitare & aurigari cœpit. Ego verò in sublime sublatus, ab oriente incipiens, ad occidentem usque contemplabar urbes, gentes, & populos, velut Triptolemus, in terram aliquid spargens. Verùm non ampliùs memini, quid esset illud, quod spargebam: cæterùm hoc solum *memini,* quod homines me sursum aspicientes laudarent, & ad quoscunque volando perveneram, illi me faustis acclamationibus prosequerentur. Porrò cùm mihi res tantas, & me laudantibus illis commonstrâsset, iterum reduxit, non ampliùs illâ veste indutum, in quâ avolaveram: sed eleganti cultu ornatus mihi videbar redire. Deprehendens igitur & patrem stantem & expectantem me,
ei

ei vestem illam & me qualis venirem ostendit, eúmque submonuit, qualia de me *ipse & amici* tantum non statuerant. Atque hæc quidem memini me vidisse, quum puer adhuc essem, &, ut mihi videtur, *recenti* plagarum metu perturbatus. Sed interea dum hæc dicuntur, ô Hercules, inquit quispiam, quàm longum hoc somnium & judiciale est! alius deinde interpellans, Hyemale, inquit, est somnium, quando noctes sunt longissimæ; aut fortè trinoctiale, quemadmodum ipse Hercules. Quid igitur illi in mentem venit sic apud nos nugari, mentionémque facere puerilis istius noctis, somniorúmque veterum & ætate jam obsoletorum? futilis est omnis frigida oratio. Numquid nos somniorum interpretes esse duxit? nequaquam, ô bone. Neque enim Xenophon *hoc putavit*, quum olim exponeret somnium, quo pacto ipsi visum fuerat in domo paternâ, & deinceps. Nôstis enim ut visionem suam, non ut conjectationem, neque quòd ita nugari statuisset, narravit, præsertim in bello & summâ rerum desperatione *constitutus*, circumstantibus hostibus: sed utilitatem quandam habuit illa narratio. Proinde etiam ego somnium hoc vobis exposui, hujus gratiâ nimirum, ut adolescentes ad meliora convertantur, & Humanitati adhæreant: maximè siquis ipsorum præ inopiâ pejus de se statuat, *animumque* ad deteriora inclinet, ingenium non illiberale perdens. Confirmabitur enim, sat scio, talis quispiam, ubi sermonem hunc audierit, me sibi sufficiens exemplum proponendo, &

cogi-

cogitando qualis essem, quum ad optima animum appuli, & literarum studia appetivi, minimè ob eam, in quâ tum eram, paupertatem animo fractus; deinde qualis huc ad vos redierim, etsi nihil aliud, nullo tamen statuariorum istorum obscurior.

JUDICIUM VOCALIUM.

IMPERANTE Aristarcho Phalereo Non. Octob. litem intendit σῖγμα literæ ταῦ apud septem Vocales Judices de vi & rapinâ bonorum, expoliari se dicens omnibus illis vocibus quæ per geminum ταῦ efferuntur.

DONEC, Judices Vocales, in paucis ab hâc ταῦ injuriâ sum affecta, cùm rebus meis abuteretur, & appelleret ubi par non erat, id ego damni non molestè tuli: quinetiam nonnulla quæ dicebantur, me non audire simulavi, præ modestiâ illâ quam vos nôstis me cum erga vos, tum erga cæteras syllabas servare. Postquam autem eò avaritiæ & dementiæ devenit, ut iis, quæ sæpe quietè subieram, parum contenta jam & majorem vim inferat; tandem necessitate coacta accuso ipsam apud vos, quæ utramque nostrûm novistis. Non exiguus verò super exclusione meâ me invasit timor. Nam cùm prioribus facinoribus majora semper addat, penitus tandem e propriâ sede me extrudet: ita ut parùm absit quin dum me tacitam contineo, literis ne annumerer quidem, in æquali autem timore etiam reliquæ literæ

 versentur.

versentur. Æquum est igitur non vos tantùm, quæ nunc Judices estis, sed & reliquas literas ab hujusmodi conatibus cavere. Enimverò si ut libet unicuique, e suo ordine in alium vi licebit irrumpere, idque vos, sine quibus nihil omnino scribitur, permiseritis: non video quo pacto sua quique ordines jura, juxta quæ a principio constituti sunt, tuebuntur. Sed non existimo vos unquam ad tantam incuriam & negligentiam progressuras, ut injusta permittatis. Nec si vos litem prodideritis, mihi tamen injuriâ lacessitæ negligenda erit. Atque utinam aliarum quoque literarum audacia, simul atque cœperunt leges violare, repressa fuisset. Neque enim pugnaret ad hunc usque diem λάμβδα cum ῥῶ, disceptans de *his vocibus* κίσσηρις (pumex) κεφαλαλγία (capitis dolor). Neque etiam γάμμα cum κάππα certamen iniisset: neque tam sæpe manus fermè conseruissent in fullonis officinâ pro voce γνάφαλα. Quin & desiisset γάμμα cum λάμβδα dimicare particulam μόγις (ægrè) illi auferens, imò suffurans. Aliæ etiam literæ confusionem legibus contrariam non aggrederentur. Decet enim unamquamque in eo manere ordine, quem sortita est: at ea, quæ non licet, transcendere, ejus est qui jus & æquum violat. Et qui primus nobis has leges expressit, sive ille fuerit Cadmus insularis, sive Palamedes Nauplii filius (quanquam nonnulli hanc prudentiam Simonidi tribuunt) non tantùm ordine dato, per quem sedes primariæ stabiliuntur, quænam prima, quænam secunda esse debeat, definive-
runt:

runt: verùm etiam qualitates & poteſtates, quas unaquæque noſtrûm habet, perſpexerunt. Et vobis quidem, Judices, majorem tribuerunt honorem, quia per vosmetipſas ſonum edere poteſtis. Semivocalibus verò ſecundum a vobis locum *conceſſerunt*, quia, ut clarè audiantur, acceſſione veſtrâ egent. Poſtremum verò omnium locum ut quædam haberent, ſanciverunt, *illæ ſcilicet*, quibus ne ullus quidem ſonus eſt. Has itaque leges vocales ſolas decet conſervare. Hæc verò ταῦ (non enim ipſam pejori vocabulo appellare queam, quàm eo quo nominatur, quod quidem per Deos immortales, niſi duæ ex vobis conveniſſent bonæ & aſpectu decoræ ἄλφα & ὐψιλὸν, non audiretur ſola) hæc inquam auſa eſt majori me injuriâ afficere quàm unquam aliàs, vi adnitens a nominibus & verbis patriis me extrudere, ſimul etiam ex conjunctionibus ipſis, & præpoſitionibus expellere, ut perferre non ampliùs poſſim immanem iſtam avaritiam. Verùm jam dicendi tempus eſt, unde & a quibus me injuriâ afficere cœperit. Peregrinabar olim in Cybelo, (id oppidulum eſt non injucundum, colonia, ut fama obtinet, Athenienſium) ducebam autem mecum & præſtantiſſimam Rho, vicinorum optimam: divertebam verò apud poëtam quendam comicum, Lyſimachum nomine, Bœotium ab origine generis, ut apparebat, qui ſe tamen e mediâ Atticâ oriundum dici affectabat. Apud hunc hoſpitem hujus ταῦ avaritiam deprehendi. Etenim quamdiu paucis manus injecit, adeò ut diceret τετταράκοντα (quadraginta)

ta) exuens me cognatis literis, eum esse literarum coalumnarum consuetudinem existimabam. Præterea cùm τήμερον & similes attraheret *voces*, ita ut has quoque sibi proprias diceret, ea etiam res erat mihi auditu tolerabilis, nec propter eam vehementer mordebar. Verùm postquam sumpto ab iis initio eò venit audaciæ, ut κατλίτερον, κάτλυμα, & πίτλαν pronunciaret, deinde deposito omni pudore βασίλιτλαν quoque appellaret, non parum ob hæc indignor & uror, verita nequis etiam temporis processu σῦκα τῦκα vocet. Ac per Jovem animum mihi despondenti, atque auxiliatoribus destitutæ, justam iram *quæso* condonate. Non enim de parvis & vilibus rebus mihi est periculum, cùm assuetis ac familiaribus meis literis dispolier. Garrulam meam avem κίσσαν medio, quod aiunt, sinu abreptam, κίτλαν denominavit. Quinetiam φάσσαν (palumbum) cum νήσσαις (anatibus) & κοσσύφοις (merulis) interdicente Aristarcho, eripuit mihi. Porrò non paucas μέλισσας (apes) detraxit. In Atticam etiam venit, & ex mediâ illâ montem Hymettum injustè sustulit, id vobis ipsis, aliisque syllabis cernentibus. Sed quid ista commemoro? totâ Thessaliâ me expulit, eámque dici vult Θετλαλίαν. Denique me omni θαλάσση (mari) exclusit: neque σεύτλοις ipsis (betis hortensibus) pepercit: ut jam quod vulgò dici solet, ne πάσσαλον (palum) quidem mihi reliquerit. Jam verò quòd *ego* litera sim injuriarum patiens, vos ipsæ mihi testes sitis; quæ nunquam Zeta accusarem, quæ smaragdum mihi detraxerit,

erit, & totam Smyrnam mihi eripuerit. Neque ipsum Xy, quamvis omnem συνθήκην violârit, ipsúmque Thucydidem talium quorundam scriptorum habeat patronum. Nam Rho meo vicino venia danda quòd, cum ægrotaret, meas apud se μυῤῥίνας (myrtos) plantârit, & aliquando atrâ bile percita me ἐπι κόῤῥης (in maxillam) cæderit. Ac talis quidem ego sum. Ut verò ταῦ illa etiam adversus reliquas literas est violentâ suâ naturâ, spectemus: illam autem nec ab aliis quidem literis abstinuisse, sed & Δ & Θ & Ζ ipsam injuriâ affecisse *ut pateat*, accerse mihi literas ab istâ injuriam passas. Num auditis, Vocales judices, Delta quid dicit, sustulit mihi meam ἐνδελέχειαν, & ἐντελέχειαν, præter omnes leges, vult pronunciari?, num auditis Theta ut plangit, & capillos vellit, eo quod κολοκύνθης (cucurbitâ) privetur? ζ ut conqueritur *sibi ademptum* esse συρίζειν (fistulâ canere), item hoc σαλπίζειν, (tubâ canere) adeò ut non ampliùs sibi ne γρύζειν quidem *(biscere)* liceat? Ecquis ista ferat? aut quæ pœna sat gravis erit huic ταῦ scelestissimæ? verùm hæc non tantùm sibi cognatum genus elementorum lædit, sed jam etiam ad humanum *genus* transivit, hoc quidem modo. Neque enim ipsos linguis rectà ferri sinit; imò verò, Judices, interim enim res humanæ me monuerunt γλώσσης (linguæ) quod & hâc me abegerit, quantum in se fuerit, & γλῶσσαν γλῶτταν fecerit. O linguæ verè vitium ταῦ! at iterum ad illud me conferam, & hominibus patrocinabor in iis, in quibus adversus ipsos peccat.

peccat. Nam quasi quibusdam vinculis illorum vocem torquere & discerpere conatur. Hic enim forsan pulchri aliquid intuitus καλὸν vult dicere: hæc vero ταῦ irruens ταλὸν enunciare cogit, primas sedes in omnibus quæ obtineat, se dignam censens. Rursum alius περὶ κλήματος (de palmite) differit: hæc autem ταῦ (quippe ærumnosum verè est) κλῆμα fecit τλῆμα. Nec plebeios tantùm homines injuriâ afficit: sed jam etiam magno illi Regi, cui & mare & terram cessisse dicunt, suisque naturis excessisse, ista inquam etiam huic insidiatur, &, Cyrus cùm sit, Tyrum nescio quem effecit. Hunc itaque in modum, quantum ad vocem attinet, homines lædit: sed re quomodo? plorant mortales, ac suæ sortis vices deflent, & Cadmum sæpe diris prosequuntur propterea quòd ταῦ in genus elementorum adduxerit. Aiunt enim tyrannos ejus literæ corpus secutos, atque figuram imitatos, postea simili figurâ ligna fabricâsse, quibus homines affigerent: & inde huic sceleratæ fabricæ improbam appellationem obvenisse. Ob hæc igitur omnia quot mortis generibus dignam esse ταῦ istam censetis? equidem existimo meritò hoc solùm ad supplicium ipsius ταῦ relinqui, ut pœnam in suâ illâ figurâ sustineat, quæ sanè ut crux esset istius operâ effectum est: & sic ab hominibus appellatur.

TIMON

TIMON, SIVE MISANTHROPOS.

TIMON.

O JUPITER Philie, hoſpitalis, ſodalitie, domeſtice, fulgurator, juramenti præſes, nubicoge, grandiſtrepe, & ſiquo te alio vocant nomine attoniti Poetæ, maximè quum hærent in verſu: (tunc enim ipſis multi nominis factus versûs ruinam ſuſtines, & rhythmi hiatum reples) ubi tibi nunc magnicrepum fulgur, & gravifremum tonitru? ubi ardens, candens, ac terrificum fulmen? nam hæc omnia jam nugas eſſe apparent, & fumum planè poeticum, nominum ſtrepitum ſi demas. Sed decantatum illud tuum telum eminus feriens, & promptum, neſcio quomodo penitus extinctum eſt & frigidum, ne minimam quidem ſcintillam iræ adverſus injuſtos retinens. Itaque quivis ex his, qui pejeraturi ſunt, citiùs extinctum ellychnium metuerit, quàm flammam fulminis cuncta domantis: ita titionem quempiam ipſis intentare videris, ut ignem vel fumum ejus (*vel* ex ipſo *manantem*) haud timeant, ſed hoc ſolum ex vulnere (*ſcilicet ſi tu eos fulmine percuteres*) incommodi ſe capere exiſtimant, ut fuligine compleantur. Quibus rebus factum eſt, ut jam Salmoneus tibi ſit auſus etiam obtonare: nec abſurdè admodum ſe gerens, ſi Jovi irâ uſque adeò frigido comparetur, cùm ſit vir ad facinora fervidus, & magnificè de ſe jactitans. Quidni enim, cum tu quaſi vi mandragoræ dormias? qui neque pejerantes audias, neque in-

justos observes; sed cæcutias lippitudine, & hallucineris ad ea quæ fiunt, auresque tibi obsurduerint, quemadmodum iis, qui ætatis sunt jam provectioris: nam cùm adhuc juvenis esses, ardenti animo, & ad iram vehemens, permulta in homines maleficos & violentos faciebas; neque tum unquam cum illis inducias agebas, neque unquam otiosum erat fulmen, quin & ægis concutiebatur, obstridebat tonitru, fulgur in morem velitaris pugnæ usque & usque mittebatur; terræ autem motus ita frequentes erant, ut cribri agitationem planè referrent; nix cumulatim *ruebat*; grando saxorum in morem, atque ut tecum grandiùs loquar, imbres rapidi & violenti *deferebantur*; flumen *erat* quæque gutta: adeò ut puncto temporis Deucalionis ætate tantum naufragium fuerit, ut omnibus sub aquâ demersis, vix unica scaphula servaretur, quæ in montem Lycorem appulit, humani generis quasi fomitem servans, quo majora deinde scelera subolescerent. Quare dignum socordiâ præmium ab illis reportas, cùm nemo jam tibi sacra faciat, nec coronas offerat nisi fortè obiter ex iis aliquis, qui in Olympiis vicerint, atque is quidem ita facit, non quòd pernecessariam rem se facere existimat, sed quòd veteri nescio cui instituto id dandum credit. Quin & homines paulatim te, Deorum præstantissime, in Saturni locum redigent, magistratu amoventes. Omitto dicere, quoties jam templum tuum sacrilegio expilârint: quidam etiam tibi ipsi manus Olympiæ admoliti sunt; & tu altifremus ille ne ausus quidem

dem es excitare canes, vel vicinos advocare, qui opitulantes tibi illos comprehenderent, cùm adhuc ad fugam se compararent. Sed *tu* generosus ille, gigantum extinctor, & Titanum victor sedebas, & cæsariem ab illis circumtondebaris, dum fulmen decemcubitale in dextrâ teneres. Hæc igitur, ô præclare, tam securè despicere quando desines? quando de tantis maleficiis pœnas sumes? quot orbis conflagrationes, quot diluvia satis esse queant ad compescendam tam inexhaustam hominum insolentiam? etenim ut communibus omissis, de meis verba faciam, ex quo tam multos ex Atheniensibus in sublime evehendo, & divites ex pauperrimis reddendo, & omnibus egenis opem ferendo, imò affatim, ut amicis benefacerem, universas opes effundendo, ex quo inquam propterea pauper evasi, jam ne agnoscor quidem ab illis, nec aspicere dignantur me, qui antea reverebantur, adorabant, meóque de nutu pendebant. Quòd si quando per viam ingrediens, fortè fortuna in eorum quempiam incidero, perinde ut eversum hominis jam olim defuncti cippum, ac temporis longitudine collapsum prætereunt, ne titulo quidem perlecto. Porrò alii procul me conspicati in aliam deflectunt viam, existimantes sese occursu infaustum & aversandum visuros spectaculum, *me inquam*, qui non ita pridem ipsis servator & benefactor fui. Propter hæc mala igitur in hanc remotam & desertam Atticæ partem concessi, & rhenone indutus terram colo, quatuor conductus obolis,

& cum solitudine, & ligone hîc philosophor. *Sed* hoc saltem commodi videor mihi percepturus, quod non ampliùs intuebor plerosque præter meritum felices: illud enim est molestius. Jam igitur tandem aliquando, Saturni & Rheæ proles, excusso profundo isto, gravique somno (longiorem enim quàm Epimenides dormivisti) & fulmine *prope extincto* denuo flatu suscitato, aut ex Ætnâ redaccenso, ingenti editâ flammâ iram strenui illius ac juvenilis Jovis ostendas, nisi vera sint ea quæ de te tuâque sepulturâ Cretenses fabulantur. Jup. Quis hic est, Mercuri, qui sic ex Atticâ juxta Hymettum in radice *scilicet* montis vociferatus est? sordidus totus ac squalidus, & rhenone amictus, fodit autem, ut arbitror, in terram pronus, homo loquax & confidens: nimirum est philosophus; alioqui enim non adeò impia adversus nos dixisset. Merc. Quid ais, ô pater? non nôsti Timonem *filium* Echecratidis, Colyttensem? Hic ille est qui toties nos convivio ex perfectis hostiis parato excepit, ille non ita pridem divitiis abundans, qui totas hecatombas *offerre solebat*, apud quem splendidè jovialia festa consuevimus agere. Jup. Eheu, quænam ista rerum commutatio! hiccine est honestus ille, dives, circa quem tam frequentes erant amici? unde igitur talis evasit? squalidus, ærumnosus, & fossor, & mercenarius, ut conjicio, cùm tam gravem ligonem in terram demittat? Merc. Illum, ut ita dicam, probitas evertit, & humanitas, atque in omnes egenos misericordia: verè autem ut dicam,

dicam, vecordia potiùs, & facilitas, & judicii defectus in amicis deligendis, quippe qui neutiquam intellexerit ſeſe corvis lupiſque gratificari; imò dum a vulturibus iſtis miſer jecur eroderetur, amicos eſſe ipſos judicabat ſociosſque præ quâdam erga eum benevolentiâ, cum *reverà* epulis gauderent. Illi enim, poſtquam oſſa penitus nudâſſent, circumroſiſſéntque, deinde ſiqua inerat medulla, hanc quoque admodum diligenter exuxiſſent, abierunt, exuccum, & radicitus ſucciſum deſerentes, ne noſcentes quidem ampliùs aut aſpicientes (cur enim *id facerent?)* aut opem ferentes, aut aliquid viciſſim largientes. Has ob res foſſor, & rhenone, ut vides, indutus, urbe præ pudore relictâ, mercede terram colit, propter mala inſaniens; quòd, qui ab eo ditati fuerant, nunc admodum faſtuosè prætereant, ac ne nomen quidem an Timon vocetur, noverint. Jup. At verò hic vir eſt neutiquam faſtidiendus & negligendus: tunc enim jure ſe infelicem eſſe indignaretur? quùm & nos eadem faceremus ac ſceleſti iſti adulatores, ſi obliviſcere viri, qui nobis tot ex pinguiſſimis *partibus* taurorum & caprarum in altaribus adolevit: eorum ſanè nidorem etiamdum in naribus habeo. Cæterùm propter negotia, magnámque pejerantium turbam, nec non eorum qui vi agunt rapiùntque, præterea ob formidinem quæ mihi ex ſacrilegis oritur, (ii enim multi ſunt, & a quibus haud facilè caveas, & ne minimum quidem nos connivere ſinunt) multo jam tempore Atticam non reſpexi;

ſpexi; & maximè ex quo philoſophia, & de verbis contentiones, apud iſtos increbuerunt, iſtis enim inter ſe pugnantibus, vociferantibúſque, ne exaudire quidem mortalium vota licet. Quare neceſſe eſt aut auribus obturatis ſedeam, aut ab ipſis perdar, dum virtutem neſcio quam & incorporea, nugáſque magnâ voce connectunt. Hinc àccidit, ut & hic neglectus fuerit, cùm haud mediocriter de nobis ſit meritus. Sed ut ut hæc ſe habent, Mercuri, aſſumpto Pluto, celeriter ad hunc eas; Plutus autem unà ſecum etiam ducat Theſaurum, & ambo apud Timonem perſeverent, nec tam facilè demigrent, etiamſi quàm maximè rurſum illos præ bonitate domo exigat. De aſſentatoribus autem iſtis, & ingratitudine eâ, quam erga illum oſtenderunt, poſtea videro; & pœnas dabunt ſimul atque fulmen præparavero. Radii enim ejus duo omnium maximi fracti ſunt & retuſi, quum illud nuper vehementiùs paulo in ſophiſtam Anaxagoram jaculatus ſim, qui diſcipulis ſuis perſaudebat, nullos eſſe nos qui Dii vocamur. At ab illo aberravi, nam obtentâ manu Pericles eum protexit: fulmen verò in Anacum templum aberrando-irruens, tum illud exuſſit, tum ipſum ad ſaxum penè eſt comminutum. Cæterùm ſufficiens interim hoc ſupplicii ipſis erit, ſi Timonem egregiè-locupletem-factum viderint. MERC. Quantum habet momenti altum vociferari, & obſtreperum, audacémque eſſe! idque non iis modò, qui cauſas agunt, verùm etiam qui vota faciunt, conducibile.

ducibile. En mox e pauperrimo dives evadet ille Timon, qui vociferatus eſt, & dicendi libertate in precibus uſus, ideoque Jovem ad ſe advertit: ſin vero tacitus incurvato-corpore fodiſſet, neglectus etiamnum foderet. PLUT. At ego, ô Jupiter, hunc aditurus non ſum. JUP. Quid ita, ô optime Plute, idque me jubente? PLUT. Quoniam per Jovem injuriâ me affecit, ejecit, & in multas partes dividit, idque cùm illi paternus eſſem amicus, meque tantùm non furcâ ex ædibus expulit, ſicut qui e manibus ignem abjiciunt. Num rurſus ad iſtum ibo, paraſitis, adulatoribus, & meretriculis objiciendus: ad eos mitte me, Jupiter, qui munus intellecturi ſint, qui amplexuri, quibus in pretio ſim, & exoptatiſſimus. At hi ſtupidi cum paupertate verſentur, quam nobis anteponunt: & acceptis ab eâ rhenone, & ligone, miſeri ſat ducant quatuor obolos lucrari, qui decem talentorum munera neglectim abjecerunt. JUP. Nihil in te iſtiuſmodi poſthac facturus eſt Timon, ligo enim probè eum docuit (niſi prorſus nullum dolorem ſentiunt illius lumbi) oportere ipſum te potiùs quàm paupertatem eligere. At tu mihi querulus admodum eſſe videris, qui nunc Timonem incuſes, quòd tibi liberè vagari permiſerit, patefactis foribus, neque domo concludens, nec in te zelotypiâ ardens. Aliàs autem contrà in divites ſtomachari ſolebas, dicens te ab illis, repagulis, clavibus, & impreſſis ſigillis ita fuiſſe concluſum, ut ne obliquè quidem aſpicere lucem tibi fas eſſet. Hæc igitur apud me deploràſti, in tan-

tis tenebris suffocari te dictitans, ideoque pallidus nobis apparuisti, curis plenus, contractos digitos habens, ut fieri solet in rationem collectionibus; quin & minatus es te ab illis aufugiturum, siquam nancisci occasionem posses. In summâ res admodum gravis tibi videbatur, in æreo, ferreóve thalamo, Danaës exemplo, virginem asservari, atque a sedulis scelestissimísque pædagogis educari, Fœnore, & Computo. Eos proinde absurdè facere aiebas, quod cùm te miserè amarent, possentque frui, non auderent tamen, nec, quamvis essent domini, securè suo amore uterentur; sed vigiles custodirent, in sigillum seramque nunquam conniventibus oculis intuente, abundè magnum fructum arbitrantes a se percipi, non quòd ipsis fruendi facultas adesset, sed quòd nemini fruendi copiam facerent: non aliter quàm in præsepi canis, qui nec ipse hordeo vescitur, nec famelicum equum vesci sinit. Quinetiam ridebas istos qui parcerent, asservaréntque, & (quod esset absurdissimum) se ipsos zelotypiâ prosequerentur: nescirent tamen *interim* fore, ut aut sceleratissimus famulus, aut œconomus, aut puerorum præceptor *cellam* furtim subintrans intemperanter se ingurgitaret, infelicem & inamabilem herum ad fuliginosam & oris angusti lucernalem ac siticulosum ellychnium usuris invigilare sinens. Quî igitur absurdum non sit te olim hæc accusâsse, nunc verò his contraria Timoni objicere? PLUT. Atqui si veritatem inquisiveris, me utrumque rationi consentaneum facere judicabis. Nam & Timonis larga hæc effusio,

ſio, negligentia, non benevolentia, quod ad me attinet, meritò videatur. Illos verò qui me ædibus ac tenebris incluſum cuſtodiebant, & ut craſſior, pinguior, imò immenſus fierem, operam dabant, neque ipſi me attingentes, nec in lucem producentes, ut ne a quopiam viderer, deſipere *prorſus*, & in me contumelioſos eſſe judicabam; quippe qui me inſontem in tot vinculis computreſcere cogerent, neſcientes interim ſe paulò poſt e vitâ diſceſſuros, & me alii cuipiam fortunato relicturos. Quocirca neque illos probo, nec hos, qui nimium facilè mihi manus admovent: ſed eos, qui, quod eſt optimum, rebus modum imponunt, ut nec prorſus abſtineant, nec penitus profundant. Et enim per Jovem illud conſidera, Jupiter, ſi quis ubi juvenem & formoſam uxorem lege duxerit, poſtea neque obſervet neque omnino zelotypiâ proſequatur, concedens illi ut noctu atque interdiu eat quò velit, & rem cum quibuſlibet habeat, vel potiùs ultro producat ut adulteretur, fores aperiens, proſtituens, & omnes ad eam invitans, num hic amare videbitur? haud tu quidem hoc dixeris, Jupiter, qui ſæpenumero amorem ſenſeris. Rurſum ſiquis ingenuam uxorem lege domum deducat, acceptam ad liberorum legitimorum procreationem: cæterùm nec ipſe contingat florentem ætate, decoramque virginem, nec alium ſinat aſpicere, ſed orbam ſterilemque includens in perpetuâ virginitate contineat, ac interim ſe amore teneri dicat, idque indicet vultûs colore, corpore emaciato, introrſum recedentibus o-

culis, num fieri poteſt, ut talis quiſpiam deſipere non videatur, quippe qui cum liberis oportuerit operam dare, fruique conjugio, puellam adeò formoſam atque amabilem ſinat emarceſcere, per omnem vitam tanquam Cereri ſacerdotum alens? hæc & ipſe indignor, a nonnullis ignominiosè calcibus cæſus, luxu conſumptus, & exhauſtus, a nonnullis contrà perinde ut ſtigmaticus fugitivus compedibus vinctus. Jup. Quid igitur adverſus illos indignaris? utrique enim egregias luunt pœnas: hi quidem dum Tantali in morem, nec bibere, nec edere, ſinuntur, ſed ore ſicco, auro tantùm inhiant; illi verò, dum harpyiæ ipſis, ceu Phineo, e faucibus cibos eripiunt. Sed abi jam, cordatiorem multò nacturus Timonem. Plut. An ille aliquando deſinet me velut ex foraminoſo cophino, priuſquam totus influxerim, datâ operâ exhaurire, quaſi conetur occupare, quo minùs influam, *veritus* ne copioſior incidens ipſum inundem? quare videor mihi aquam in Danaïdum dolium allaturus, fruſtràque infuſurus, dolii ſinu *liquorem* non continente: imò priùs propemodum effuſo quod influit, quàm influxerit: adeò latus dolii hiatus ad effuſionem, ac liber exitus. Jup. Proinde chaſma iſtud & hiatum niſi ſemel obſtruxerit, te propediem effuſo, facilè rhenonem rurſus & ligonem in fæce dolii reperiet. Verùm abite jam, illúmque ditate. Tu verò, Mercuri, memineris, cum redis, Cyclopas ex Ætnâ ad nos adducere, quò mihi fulmen exacuant ac reficiant, eo enim exacuto nobis

nobis opus erit. MERC. Pergamus, Plute. Quid hoc? num claudicas? equidem ignorabam, ô præclare, te non cæcum modò, verùm etiam claudum esse. PLUT. Hoc non est mihi perpetuum, Mercuri: sed quando ad aliquem a Jove missus proficiscor, nescio quomodo tardus & claudus sum utroque pede, ita ut ægrè metam pertingam, quum nonnunquam qui me opperiebatur, prius insenuit. Quum verò abire oportuerit, alatum videbis, avibus longè celeriorem. Itaque ubi primùm repagulum cecidit, protinus voce præconis victor pronuncior, saltu stadium transmensus, nec videntibus quidem aliquoties spectatoribus. MERC. Ista haud vera narras. Ego enim tibi permultos commemorare queam, qui heri ne obolum quidem habebant, unde emerent laqueum, repentè verò hodie divites factos, & sumptuosos, & bigis albis evectos, quibus ne asellus quidem antè suppetebat: ii tamen purpurati, manibus aureos annulos gestantes obambulant; ne ipsi quidem, ut opinor, credentes, quin per somnium divites sint. PLUT. Isthæc alia res est, ô Mercuri, neque enim tum meis ipsius ingredior pedibus: nec me Jupiter, sed Pluto ad eos mittit, utpote qui & ipse sit opum largitor, & splendidorum munerum dator, quod suo etiam nomine declarat. Itaque quoties est mihi ab alio ad alium demigrandum, cùm in tabellas injecerunt me & diligenter obsignârunt, sarcinæ in morem sublatum transportant. Interea cadaver illius alicubi in tenebricosâ ædium parte jacet, ve-

tere linteo in genua injecto tectum, de quo (*cadavere scilicet*) feles decertant. Porrò qui me speraverant *obtinere*, in foro operiuntur hiantes, non aliter quàm hirundinem advolantem stridentes pulli. Deinde ubi signum detractum est, & lineus funiculus incisus, apertæque tabellæ, novúsque meus dominus est pronunciatus, sive cognatus quispiam, sive adulator, sive servulus obscœnus, & cæteris prælatus amasiis, etiam tum mento subraso; pro variis omnigenísque voluptatibus, quas ipsi jam obsoletus suppeditavit, ingens præmium ferens generosus: is igitur quisquis tandem sit me ipsis cum tabellis arreptum fugiens adportat, mutato nomine vocatus Megacles, aut Megabyzus, aut Protarchus, pro eo qui modò vocabatur Pyrrhias, vel Dromo, vel Tibius; illos incassum hiantes, & se invicem intuentes relinquens, ac verum luctum agentes, quòd ejusmodi thynnus ex intimo sagenæ sinu effugit, devoratâ non exiguâ escâ. Atque hic repentè totus in me irruens, homo ineptus, crassâ cute, compedes adhuc horrescens, & siquis alius præteriens loro increpuerit, rectam arrigens aurem, & pistrinum tanquam templum adorans, non ampliùs iis, qui in eum incidunt, est tolerabilis: sed & ingenuos contumeliâ afficit, & conservos flagris cædit, experiens num sibi quoque similia liceant: donec aut in scortulum incidens, aut alendorum equorum studio captus, aut adulatoribus sese trahens, dejerantibus illum Nireo formosiorem esse, Cecrope, Codróve generosiorem,

nerosiorem, callidiorem Ulysse, ditiorem verò sedecim simul Crœsis, momento temporis *semel* effundat infelix, quæ minutatim multis ex perjuriis, rapinis, & flagitiis fuerant collecta. MERC. Ista fermè sic se habent uti narras. Verùm ubi tuis ipsius ingrederis pedibus, quî tandem, cum sis adeò cæcus, viam invenis? aut quî dignoscis ad quosnam Jupiter te miserit, dignos esse existimans, qui ditescant? PL. Enimvero credis me reperire quinam illi sint, *ad quos mittor?* MERC. Per Jovem haudquaquam. Neque enim Aristide præterito ad Hipponicum, & Calliam accessisses, tum ad multos alios Athenienses, ne obolo quidem dignos. Cæterùm quid facis emissus? PLUT. Sursum ac deorsum circumcursans oberro, donec imprudens in aliquem incidero. Ille autem quicunque primus me fortè repererit, abductum possidet, te, Mercuri, ob lucrum insperatum adorans. MERC. Num ergo fallitur Jupiter, qui credat ex ipsius sententiâ te eos ditare, quos dignos existimârit, quî ditescerent? PLUT. Et jure quidem optimo *fallitur*, ô bone, quippe qui cùm me cæcum esse probè sciat, emittat vestigatum rem usque adeò repertu difficilem, quæque olim e vitâ decessit; quam ne Lynceus quidem facilè inveniret, cùm sit adeò obscura & minuta. Quare, cùm rari sint boni, improbi verò plurimi *sint*, *&* in civitatibus omnia obtineant, oberrans facilè in istius farinæ homines incido, & ab illis irretior. MERC. At quî fit ut, quando eos deseris, facilè aufugias, cùm viæ sis ignarus? PLUT.
Tum

Tum demum acutùm cerno, pedibúſque valeo ſolummodò quum fugiendi adeſt opportunitas. Merc. Illud etiam mihi reſponde: quî fit ut, cùm oculis ſis captus, (dicendum enim eſt) præterea pallidus, & cruribus gravis, tot habeas amatores, adeò ut omnes in te defigant oculos? & ſi potiantur, ſe beatos exiſtiment: ſin fruſtrentur, non ſuſtineant vivere: ex his quidem non paucos novi, qui tam perditè te amârint, ut ſe in pontum ingentia cete habentem, & altiſſimis de petris, præcipites abjecerint, rati faſtidiri ſeſe abs te propterea quòd illos nullo pacto reſpexiſſes. Quanquam ſat ſcio, tu quoque fateberis, ſiquid de te ipſo noveris, inſanire iſtos, qui talem amaſium depereunt. Plut. At enim credis me, qualis ſum, talem iſtis videri, nempe claudum, & cæcum, & quicquid aliud mihi ineſt vitii? Merc. Quidni, ô Plute, niſi & ipſi omnes ſint cæci? Plut. Haud cæci quidem, ô optime; verùm inſcitia errórque, quæ omnia occupant, caliginem illis offundunt. Ad hæc ipſe quoque, ne per omnia deformis ſim, perſonam valde amabilem induens, inauratam, gemmiſque diſtinctam, ac verſicoloribus amictus eis occurro: at illi rati ſeſe nativi vultûs venuſtatem aſpicere, amore capiuntur, diſpereuntque niſi potiantur. Quòd ſiquis me toto corpore denudatum illis oſtenderet, haud dubium eſt quin ſe damnarent, qui tantopere cæcutierint, amantes res neutiquam amandas, & deformes. Merc. Quî fit igitur ut, poſtquam divites facti ſint, & perſonam ſibi circumpo-

cumposuerint, adhuc fallantur, & siquis illis adimere conetur, penè caput potiùs quàm personam abjiciant? neutiquam enim necesse est, (ut mihi videtur) etiam tum illos ignorare, inauratam esse pulchritudinem, quum intus cuncta inspexerint. Plut. Ad id non paucæ res, ô Mercuri, mihi sunt adjumento. Merc. Quænam? Plut. Cum primùm aliquis me nactus apertis foribus admittit, clanculum mecum introit Arrogantia, Dementia, Jactantia, Mollities, Insolentia, Fraus, aliáque sexcenta: a quibus omnibus posteaquam èst occupatus animus, miratur non miranda, appetit fugienda: méque cunctorum illorum, quæ introierunt, malorum patrem stupet, illorum satellitio vallatum; & nihil non patiatur potiùs quàm me abjicere sustineat. Merc. Ut levis es, ô Plute, & lubricus & retentu difficilis, ac fugax, ansam nullam firmam præbens, *quâ prensus teneare:* verùm nescio quomodo anguillarum ac serpentum in morem inter digitos elaberis. At contrà paupertas viscosa est, & prehensu facilis, & mille uncos gerit ex omnibus corporis partibus enascentes, adeò ut, qui ad eam accesserint, ilicò hæreant, nec facilè queant avelli. Verùm interea dum nugamur, rem haud parvam omisimus. Plut. Quam? Merc. Nempe quòd Thesaurum non adduximus, quo vel in primis erat opus. Plut. Istâ quidem ex parte bono sis animo. Eum enim semper sub terrâ relinquo, cùm ad vos ascendo, imperans ut intus maneat foribus occlusis, nec cuiquam aperiat, nisi me vociferantem audierit.

rit. Merc. Jam igitur Atticam adeamus, & me ſequere chlamydi adhærens, donec ad remotum agrum pervenero. Plut. Rectè facis, Mercuri, qui me manu ducis. Etenim ſi me deſereres, forſan oberrans in Hyperbolum aut Cleonem inciderem. Sed quis hic ſonus eſt, velut ferri ſaxo impacti? Merc. Timon ille prope montanum & petricoſum fodit ſolum. Papæ! & Paupertas adeſt, & Labor ille; tum Robur, Sapientia, Fortitudo, & id genus turba, omnibus ſub Famis ſigno inſtructis, longè præſtantior quàm tui ſatellites. Plut. Quidni igitur quàm ocyſſimè diſcedimus, Mercuri? neque enim quicquam memorabile præſtiterimus cum homine vallato iſtiuſmodi exercitu. Merc. Secus viſum eſt Jovi: quare nihil metuamus. Pa. Quònam iſtum, Argicida, manu adducis? Merc. Ad hunc Timonem a Jove miſſi ſumus. Pa. Itáne nunc Plutus ad Timonem, poſteaquam ego ipſum antea deliciis malè corruptum ſuſcepi: & his, videlicet Sapientiæ & Labori, traditum, ſtrenuum multique pretii virum reddidi? adeóne deſpicienda, injuriæque idonea Paupertas vobis videor, ut hunc, quæ mihi unica erat poſſeſſio, eripiatis, jam exactiſſimâ curâ ad virtutem excultum? ut Plutus illum denuo acceptum, & Contumeliæ & Arrogantiæ traditum, reddat talem, qualis olim fuit, mollem, ignavum, ſtolidumque, tum denique mihi reſtituat, ubi jam nihili factus erit. Merc. Sic, ô Paupertas, Jovi placitum eſt. Pa. Equidem abeo: & vos Labor, & Sapientia reliquique ſequimini

ni me. Brevì autem sentiet ille, qualem me reliquerit, bonam nempe adjutricem, & rerum præstantissimarum doctricem: quâcum donec habuit commercium, sano corpore, valentique animo perseveravit, virilem exigens vitam, & ad sese respiciens: supervacua autem et magnam istam rerum copiam, aliena, ita ut sunt, existimans. MERC. Discedunt illi: nos eum adeamus. TIM. Quinam estis, ô scelesti? aut quâ gratiâ huc advenistis, homini operario, ac mercenario negotium exhibituri! sed non læti abibitis, cùm omnes improbi sitis: nam ilico vos ego glebis & saxis petens comminuam. MERC. Nequaquam, ô Timon, ne ferito: neque enim mortales feries. Ego enim sum Mercurius, hic Plutus. Nos tuis precibus exauditis misit *ad te* Jupiter. Quare, quod bene vertat, opes accipe desistens a laboribus. TIM. Atqui vos jam ploraveritis, etiamsi Dii sitis, ut dicitis: siquidem odi pariter omnes, tum Deos, tum homines. Sed cæcum hunc, quisquis is est, certum est mihi hoc ligone comminuere. PLUT. Abeamus, per Jovem, Mercuri, (quandoquidem hic homo mihi videtur non mediocriter insanire) ne malo quopiam accepto discedam. MERC. Nequid inscitè facias, Timon, quin potiùs nimiâ hâc ferocitate, & asperitate depositâ, bonam fortunam porrectis manibus excipe, rursus dives esto, & Atheniensium primus, solúsque fortunatus ingratos illos despicito. TIM. Nihil mihi vobis opus est: ne obturbate: sat opum mihi ligo: sum præterea fortunatissimus, si nemo ad me accesserit.

rit. MERC. Adeóne, quæso, inhumaniter? Hæcne Jovi referam tam dura atque aspera dicta? atqui par erat forsitan te homines odio habere, cùm ab illis tot gravia tuleris, nequaquam autem Deos odisse, cùm Dii tantopere tui curam gerant. TIM. At tibi, Mercuri, Jovíque pro vestrâ curâ plurimam habeo gratiam: sed hunc Plutum nequaquam accipiam. MERC. Quid ita? TIM. Quia mihi olim innumerabilium malorum author fuit, cùm me assentatoribus traderet, mihi insidiatores induceret, odium conflaret, voluptate corrumperet, & invidiæ obnoxium redderet, denique quum me repentè adeò perfidè & more proditoris desereret. Paupertas verò optima me laboribus viro dignissimis exercens, ac mecum conversans unà cum Veracitate & Libertate dicendi, & quibus opus erat suppeditavit laboranti, & rerum illam copiam contemnere docuit, effecítque ut mihi vitæ spes omnis ex me ipso penderet, & demonstravit quænam essent opes meæ, quas neque adulator assentans, neque sycophanta territans, neque plebs irritata, nec concionator suffragium ferens, neque tyrannus insidians queat eripere. Itaque laboribus jam corroboratus dum hunc agellum gnaviter exerceo, neque quicquam eorum malorum, quæ sunt in civitate, aspicio, abundè magnum & sufficientem victum a ligone accipio. Quare tu, Mercuri, iter-relegens abeas, & Plutum hunc ad Jovem abducas. Hoc autem mihi sat fuerit, si omnes omnino homines ejulare coegerit. MERC. Nequaquam, ô bone, neque enim omnes ad

eju-

ejulandum sunt accomodi. Quin iracunda ista pueriliáque missa facias, & Plutum excipias; non sunt rejicienda munera quæ a Jove proficiscuntur. PLUT. Vin', Timon, ut contra te partes defendam meas? an graviter feres siquid dixero? TIM. Dicito, sed nec multis, nec cum procemiis, quemadmodum perditissimi isti oratores solent: nam hujus Mercurii gratiâ te feram pauca dicentem. PL. Atqui mihi multis potiùs est dicendum, qui tam multis nominibus abs te accuser: vide tamen num quâ in re te, quemadmodum ais, læserim ego, qui dulcissimarum quarumque rerum tibi author fui, honoris, præsidentiæ, coronarum, aliárumque deliciarum: quin & meâ operâ spectabilis eras, & ab omnibus celebratus, ac studiosè cultus: verùm siquid ab adulatoribus molesti tibi accidit, ego non sum culpandus: imò ego a te injuriâ affectus sum, propterea quòd me tam ignominiosè sceleratorum hominum *libidini* subjecisti, qui te laudabant, & præstigiis dementabant, mihíque modis omnibus insidias struebant: porrò extremo loco dixisti, te a me proditum fuisse; e contra autem te potiùs accusare possum, cùm ipse sim modis omnibus a te expulsus, & capite protrusus foràs: unde tibi pro molli chlamyde rhenonem hunc veneranda ista Paupertas circumposuit. Itaque testis est mihi hic Mercurius, quantoperè Jovem oraverim ne ad te venirem, qui te tam hostiliter erga me gessisses. MERC. At nunc vides, ô Plute, qualis jam factus sit? proinde audacter cum illo consuetudinem habe. Tu verò

fode ita ut facis: tu interim Thesaurum sub ligonem adducito: tibi enim inclamanti auscultabit. TIM. Parendum est, Mercuri, rursúsque ditescendum. Quid enim facias, cùm Dii ipsi compellant? tamen vide in quot me miserum conjecturus sis incommoda, qui, cùm hactenus felicissimè vixerim, tantum auri repentè accepturus sim, & tot tantasque curas suscepturus, cùm nihil mali fecerim. MERC. Sustine, Timon, meâ gratiâ, tametsi grave est istud, & intolerandum, quò videlicet palpones illi invidiâ rumpantur. Ego autem superatâ Ætnâ in cœlum revolabo. PLUT. Abiit quidem ille, ut mihi videtur, nam ex remigio alarum conjicio; tu verò hic opperire; ubi enim abiero, Thesaurum ad te transmittam. Sed terram feri potiùs; te compello, auri Thesaure: Timonem hunc exaudi, & te offer eruendum. Fodi Timon, altè ligonem adigens, at ego a vobis discedam. TIM. Age verò, ô ligo, nunc corrobores teipsum, neque porrò defatigere, dum Thesaurum ex terræ penetralibus in lucem eruis. Hem prodigiorum author Jupiter, amici Corybantes, ac lucrifer Mercuri, unde auri tantum? num somnium hoc est? metuo ne carbones reperturus sim experrectus. Atqui aurum profectò est signatum, subrubescens, ponderosum, & aspectu quàm gratissimum: ô aurum ingens generis humani bonum; namque ignis instar eximiè micas tum noctu tum interdiu. Ades ô mihi charissimum, & desideratissimum: nunc demum credo & Jovem ipsum aurum esse factum.

Quæ enim virgo tam formosum amatorem per tegulas illapsum expanso sinu non excipiat? ô Mida & Crœse, & Delphis appensa donaria, quàm nihil estis præ Timone & Timonis opulentiâ? cui ne Persarum quidem rex par est. O ligo, & rheno charissime, vos huic Pani suspendere par est. At ego totum hunc mercatus agrum, turriculâque ad aurum asservandum exstructâ, quæ magna satis erit quam ego solus inhabitem, eam & pro sepulchro habere, quum mortuus fuerô, statuo. Hæc igitur decreta sunto, placitaque in reliquum vitæ, omnium congressum fugere, notum habere neminem, omnes despicere: Porrò amicus, hospes, sodalis, ara Misericordiæ, meræ nugæ: tum miserari lachrymantem, egenti opitulari, legis transgressio *habeatur*, & morum subversio: mihi autem vita sit, itidem ut lupis, solitaria, & unus sibi sit amicus Timon: cæteri omnes hostes, & insidiatores: cum horum quopiam congredi, piaculum: adeò ut siquem aspexero duntaxat, nefastus sit ille dies. In summâ nihil apud nos statuatur discriminis inter eos & saxeas vel æneas statuas: & neque missum ab ipsis caduceatorem recipiamus, neque fœdera feriamus: solitudo terminus esto inter me & istos. Cæterùm tribules, curiales & populares, quin & ipsa patria frigida & inutilia nomina *habeantur*, & fatuorum hominum ostentatio. Solus Timon dives esto, despiciat omnes, solus ipse secum oblectetur, ab assentationibus, & odiosis laudibus liberatus; Diis sacra faciat, solus epuletur, sibi

ipsi vicinus & conterminus, excutiens *se* ab aliis: & decretum esto ut se omnino excipiat comiter, si mori oporteat, & coronam sibi ipsi imponere. Denique nomen suavissimum esto Misanthropos, hominum osor. Morum autem notæ sint, morositas, asperitas, feritas, iracundia, inhumanitas: & siquem conspexero incendio conflagrantem, & supplicantem ut extinguam, pice, oleóque restinguere: & siquem hyeme flumen deferat, isque porrectis manibus roget ut retineatur, eum demerso capite propellere, ita ut se rursus attollere nequeat. Hoc pacto parem gratiam reportabunt. Hanc legem rogavit Timon Echecratidæ filius Colyttensis, & concionis decretum confirmavit idem Timon. Age hæc decreta sunto: hæc fortiter tueamur. Cæterùm magni fecerim, si hoc omnibus innotescat, me esse supra modum divitem. Hæc enim res ad restim illos adiget. Sed quid illud? eheu, quæ celeritas ista? undique concurrunt pulverulenti atque anheli, haud scio unde aurum odorati. Utrum igitùr hoc conscénso colle saxis eos ambigam, ex loco superiori dejaculans; an hâc tantùm in re legem violabimus, cum illis scilicet semel congrediendo, ut contempti, magis agantur? Hoc satius esse duco. Quare hic subsistentes jam eos excipiamus. Age prospiciam, primus eorum iste quis est? nempe Gnathonides adulator, qui mihi nuper eranum petenti, funem porrexit, quum apud me sæpenumero integra dolia evomuerat. Sed bene est quod ad me venit: ante alios enim ejulabit. GNAT. Non-

ne dicebam fore ut Dii Timonem bonum virum non negligerent? salve Timon formosissime, suavissime, & compotor hilarissime. TIM. Tu quoque salve Gnathonides, vulturum omnium voracissime atque hominum perditissime. GNA. Tu semper dicacitate gaudes; sed ubi est convivium? nam novam tibi adfero cantilenam ex his, qui nuper evulgati sunt, dithyrambis. TIM. At elegos canes, & quidem perquam patheticè ad hunc ligonem. GNA. Quid istuc? feris ô Timon? antestor: ô Hercules! hei hei! te ob vulnus inflictum apud Areopagitas in jus voco. TIM. Atqui si cunctêre paulisper, quòd te occiderim mox in jus vocabis. GNA. Nequaquam. Quin tu omnino vulneri medêre, paululum auri inspergens: præsentissimum enim illud est remedium ad sistendum sanguinem. TIM. Etiam manes? GNA. Abeo. At tibi malè erit quòd ex viro commodo tam sævus factus sis. TIM. Quis hic est recalvaster qui accedit? Philiades, assentatorum omnium execratissimus. Hic cùm a me solidum acceperit fundum, tum in filiæ dotem talenta duo, laudationis præmium, cùm me canentem reliquis omnibus silentibus solus supra modum laudâsset, dejerans me oloribus longè magis canorum esse, postquam me nuper ægrotantem vidit (nam adieram opis indigus) plagas egregius ille vir impegit. PHIL. O impudentiam! nunc demum Timonem agnoscitis? nunc Gnathonides amicus & conviva? digna igitur passus est ille, cùm sit ingratus. At nos qui jam olim familiares su-

mus, æquævi, ac populares, tamen modestè agimus, ut ne insilire videamus. Salve, here; fac ut a sceleratis istis assentatoribus caveas, qui non nisi ad mensam præstò sunt; quoad cætera nihil a corvis differunt. Nulli hominum hujus ætatis est ampliùs fidendum, ingrati omnes & scelesti. At ego cùm tibi talentum afferrem, quo ad urgentem necessitatem uti posses, non abhinc multum in viâ accepi te factum esse supra modum divitem. Proinde veni te hæc admonendi causâ; quanquam fortasse, cùm adeo prudens sis, his meis sermonibus haud indigeas, qui vel Nestorem admonere possis, quid factu opus sit. TIM. Ita fiet, Philiades. Sed adesdum ut te quoque ligone comiter excipiam. PHIL. Viri, caput mihi ab hoc ingrato effractum est, propterea quòd illum, quæ in rem illius erant, admonui. TIM. Ecce, tertius iste orator Demeas accedit, decretum dextrâ tenens, séque profitens mihi cognatum esse Hic cùm de meo solvisset reipublicæ uno die sedecim talenta, (damnatus enim fuerat, ac in vincula conjectus, quod solvendo non esset: ego autem illum misertus liberavi) ubi nuper illi forte obvenisset, ut Ægeidi tribui donativum Theoricum distribueret, atque ego adiens debitam portionem, quæ mihi exinde obtingebat, poscerem, se ignorâsse dixit me civem esse. DEM. Salve, Timon, præcipuum tui generis præsidium, fulcimentum Atheniensium, propugnaculum Græciæ; profectò jam pridem te populus frequens, & utraque curia opperitur. Sed priùs decretum audi,

audi, quod de te conſcripſi. Quandoquidem Timon Echecratidæ filius Colyttenſis, vir non modò probus & integer, verùm etiam ſapiens quantum alius in Græciâ nemo, nunquam per omnem vitam deſtitit optimè de Republicâ mereri: præterea pugillatu, luctâ, curſúque die eodem, quadrigâ præterea & bigâ equeſtri in Olympiis vicit. TIM. At ego ne ſpectator quidem unquam in Olympiis fui. DEM. Quid tum ſpectabis poſthac. Sed multa hujus generis ſatius eſt addi. Tum anno ſuperiore apud Acharnenſes pro Rep. fortiſſimè ſe geſſit, & Peloponneſiorum duas acies concîdit. TIM. Quâ ratione? quippe qui nec unquam arma geſſerim, nec miles conſcriptus fuerim. DEM. Modeſtè quidem de te loqueris: nos autem ingrati eſſemus, ſi oblivîſcemur. Præterea ſcribendis plebiſcitis, & in conſultationibus, & in adminiſtrandis bellis, non mediocrem utilitatem attulit Reipub. Ob hæc omnia viſum eſt curiæ, plebi, magiſtratibus tributim, plebeiis ſingulatim, communiter omnibus, aureum ſtatuere Timonem juxta Palladem in arce, fulmen dextrâ tenentem, & radios ſuper capite habentem: eúmque ſeptem aureis coronis coronare, háſque coronas hodie in Bacchanalibus per novos Tragœdos promulgari: nam hodie in honorem ejus Bacchanalia ſunt agenda. Hujus ſententiæ autor fuit Demeas orator, cognatus illius, propinquus, & diſcipulus. Etenim orator optimus eſt Timon, præterea quicquid voluerit. Hoc igitur tibi decretum, ego autem & filium meum ad te adducere volebam, quem tuo nomine

mine Timonem denominavi. TIM. Quo pacto, Demea, qui, quantum mihi ſcire contigit, nunquam uxorem duxeris? DEM. At ducam anno proximo, ſi Deus dederit: liberiſque operam dabo: & quod naſcetur (erit enim maſculus) Timonem jam voco. TIM. An uxorem tum ſis ducturus, haud equidem ſcio, tantâ a me plagâ acceptâ. DEM. Hei mihi, quid hoc eſt rei? Tyrannidem occeptas Timon, pulsáſque ingenuos, cum ipſe nec purè ingenuus ſis, nec civis? verùm pœnas dabis propediem cùm aliis nominibus, tum quòd arcem incenderis. TIM. At, ô ſceleſte, non conflagravit arx: proinde palam eſt te eſſe ſycophantem. DEM. Verùm effoſſo ærario dives factus es. TIM. Neque hoc effoſſum eſt: quare ne hæc quidem, quæ dicis, ſunt credibilia. DEM. Verùm effodietur poſthac. Et tu interim omnia, quæ in eo *condita*, poſſides. TIM. Alteram itaque plagam accipe. DEM. Hei ſcapulis meis! TIM. Ne vocifereris, alioqui tertiam tibi inferam: etenim res planè ridicula mihi acciderit, ſi cum inermis duas Lacedæmoniorum acies fuderim, unum ſceleſtum homuncionem non protrivero: tum fruſtra vicerim in Olympiis pugilatu & luctâ. Sed quid hoc? annon Thraſycles Philoſophus hic eſt? profectò ipſe eſt; expansâ ſanè barbâ, ſublatiſque ſuperciliis, & magnum quiddam ſecum murmurans, accedit, Titanicum obtuens, capillis ſuper fronte retrorſum rejectis, alter planè Boreas aut Triton, quales Zeuxis pinxit. Hic ille eſt qui decenter ornatus, inceſſu moderatus, amictu modeſtus,

destus, mane mirum quàm multa de virtute disserit, damnans eos qui voluptate gaudent, frugalitatem laudans: at ubi lotus ad cœnam venit, puérque ingentem illi calicem porrexit, (meraco autem maximè delectatur) quasi Lethæam hauserat aquam, matutinis illis sermonibus maximè contraria facit, dum milvi instar præripit obsonia, & proximum opposito cubito arcet, mento condimentis oppleto, dum canum ritu ingurgitat, & prono corpore, ac si virtutem in patinis sese inventurum speret: dùmque catinos indice digito diligenter extergit, ut ne vel paululum alliati edulii relinquat: semper querens, quò placentam integram aut aprum sibi solus accipiat; quodque gulæ & insatiabilitatis fructus est; temulentus, vino insanus, non ad cantum modò, saltationémque, verùm ad convicium usque & iram. Adhæc multus super pocula sermo: tum enim maximè de temperantiâ, & sobrietate verba facit, idque cùm a mero jam malè afficitur, & ridiculè balbutit. Accedit his deinde vomitus: postremò sublatum illum de convivio efferunt aliqui, ambabus manibus tibicinæ retentum. Attamen ne' sobrius quidem ulli primas partes cesserit, vel mendaçio, vel audaciâ, vel avaritia. Quin & assentatorum longè princeps est, pejerat promptissimè, anteit impostura, comitatur impudentia: in summâ vir est omnifariâ sapientiâ cumulatus, omni ex parte exactus variéque absolutus: quare, cum sit adeò bonus, brevì ejulabit. Quid hoc? papæ! sero nobis Thra-

sycles.

ſycles. THRAS. Noc hoc animo *ad te* venio, Timon, quo plurimi iſti, ſcilicet quo ii qui tuas opes admirati, argenti, auri, opiparorum conviviorum ſpe adducti concurrerunt, multam aſſentationem exhibituri apud hominem, qualis tu es, ſimplicem, & res ſuas cum aliis facilè communicantem. Scis enim offam in cœnam mihi ſat eſſe, opſonium verò ſuaviſſimum, cœpe, aut naſturtium, aut ſi quando lubeat epulari lautiùs, paulum ſalis: potum verò *mihi* Enneacrunum *ſuppeditare*: tum hoc pallium quâvis purpurâ potius. Nam aurum mihi quidem nihilo pretioſius videtur iis qui in littoribus ſunt, lapillis. Verùm tuâ ipſius gratiâ huc me contuli, ne te corrumpant, peſſima & inſidioſiſſima poſſeſſio, divitiæ, quippe quæ multis ſæpenumero immedicabilium malorum cauſa extiterint. Etenim, ſi me audies, ante omnia opes univerſas in mare projicies, utpote non neceſſarias bono viro quippe Philoſophiæ poſſit opes perſpicere: ne tamen in profundum, ô bone, ſed prope inguinum tenus ingreſſus, paulò ultra fluctuoſam littus, me uno ſpectante. Sed ſi hoc nolis, tu eas alio potiore modo confeſtim domo efferas; ac ne obolum quidem tibi reliquum facias, largiens quibuſcunque opus eſt, huic quidem quinque drachmas, alii minam, alii talentum. Porrò ſiquis erat Philoſophus, æquum eſt ut duplam triplámve portionem ferat: mihi autem, quanquam meâ ipſius gratiâ non poſtulo, ſed ut amicis indigentibus impertiam, ſat erit, ſi peram hanc, ne duos

duos quidem integros modios Ægineticos capientem, plenam præbueris. Paucis enim contentum & moderatum decet esse philosophum, nihílque ultra peram cogitare. Tim. Equidem ista, quæ dicis, probo Thrasycles. Ergo si videtur, priusquam peram expleam, age tibi caput tuberibus opplebo, ligone admetiens. Thras. O Democratia! ô Leges! a nefario homine in liberâ civitate pulsamur. Tim. Quid stomacharis, ô bone Thrasycles? num te *inter metiendum* defraudavi? atqui mensuræ chœnices quatuor adjiciam. Sed quid hoc est? complures simul adveniunt, Blepsias ille, & Laches, & Cniphon, in summâ, agmen eorum qui mox lugebunt. Quidni igitur ego in rupem hanc conscendo, ac ligonem quidem jam dudum fatigatum paulisper interquiescere sino, ipse verò quamplurimis saxis in unum collatis, procul in ipsos grandino? Bl. Ne jace, Timon; abimus enim. Tim. At vos nec sine sanguine, nec sine vulneribus, abibitis.

De iis qui MERCEDE conducti in divitum Familiis vivunt.

Ecquid tibi primum, Amice, & quid postremum, ut aiunt, recenseam ex his, quæ tum pati, tum facere coguntur ii, qui mercedis gratiâ in aliorum familiis vivunt, & in locupletum istorum amicitiam accensentur, si modò ejusmodi illorum servitutem convenit amicitiam appellare? Novi enim multa, imò propè

maximam

maximam partem eorum quæ ipsis accidunt, non ipse quidem tale vitæ genus expertus, (neque enim necessarium mihi erat periculum, nec unquam, ô Dii, sit) sed multi eorum, qui in hoc vitæ genus inciderunt, mihi enarrârunt: quorum alii in ipsis malis etiamdum constituti, quanta & qualia ferrent, deplorabant; alii tanquam e carcere quodam profugi, non sine voluptate commemorabant ea quæ perpessi fuerant: imò, quibus liberati fuerant, recensendo admodum oblectabantur. Atque hi quidam erant digniores, quibus fides haberetur, ut qui *ejus sacri* ritus omnes (ut ita dicam) complevissent, omniáque ab initio ad finem usque perspexissent. Non ergo perfunctoriè & oscitanter hos audiebam, veluti naufragium aliquod & inopinatam salutem enarrantes: cujusmodi sunt isti, qui juxta templa deraso capite simul multi, tertios fluctus, procellas, rupes, jacturas, malos fractos, gubernacula revulsa narrant: in primis autem, Dioscuros apparentes (nam hi sunt hujusmodi tragœdiæ proprii) aut quempiam alium ex improviso *apparentem* Deum, summis antennis insidentem, aut clavo astantem, & ad molle aliquod littus navim dirigentem, ad quod ubi appulisset, futurum erat ut paulatim ac lentè dissolveretur, at ipsi tutò descenderent, idque ope ac favore divino. Itaque isti frequenter hæc ad præsentem necessitatem tragicè exaggerunt, ut a pluribus stipem accipiant, cùm non modo calamitosi, verùm etiam Diis chari videantur. Porrò ii dum tempestates

eas,

eas, quas in domibus tulerant, & tertios, quintos, decimósque fluctus, si fas est dicere, referrent, utque primùm a littore solverint, cùm mare se aliquantulùm serenum ostendebat, quótque molestias toto navigationis tempore sustinuerint, dum vel sitiebant, vel nauseabant, vel dum antlia eorum salsugine exundabat: denique ut infelici navigio in cautem quampiam sub undis latentem, aut in præruptum scopulum effracto miseri ægrè enatârint, nudi, cunctarúmque rerum necessarium inopes: hæc *inquam* interea dum referrent, visi sunt mihi multa præ pudore subticere, & volentes ac scientes oblivisci. At ego tum illa, tum alia nonnulla ex illorum narrationibus collecta deprehendo istiusmodi convictibus inesse, quæ omnia, ô præclare Timocles, tibi percensere non gravabor. Jampridem enim mihi videor animadvertisse, te de *capessendâ* hâc vitæ ratione cogitare: ac primùm quidem, cùm hâc de re sermo incidisset; tum præsentium aliquis mercenarium istiusmodi vitæ genus laudare cœpit, fortunatissimos eos affirmans, quibus, præterquam quòd amicos habeant Romanorum optimates, & sumptuosas cœnas, idque sine symbolis, cœnent, & in conspicuo *loco* versentur, & omnigenâ cum recreatione ac voluptate in albâ rhedâ, si ita ceciderit, resupini peregrinentur, non parvi est emolumenti insuper etiam mercedem amicitiæ & benefactorum istorum accipere: omnia enim istis haud dubiè nec sata nec culta provenire. Hæc igitur, atque id genus alia cùm audires animadverti ut his inhiares,

& os apertum ad escam perquam avidè exporrigeres. Proinde ut nos in posterum culpâ vacemus, nec objicere queas, quòd cum te viderimus tantum cum squillâ deglutientem hamum, non retineremus, nec priusquam in guttur demergeretur, revelleremus, nec præmoneremus: sed quòd postquam hamo retrorsum adducto & infixo te jam trahi, & per vim duci videre expectâssemus, tum adstantes quum nihil opis afferri possit, fleremus: hæc inquam, ne aliquando possis dicere; quæ si dicantur, meritò omnino dicantur, nec a nobis refelli queant, quo minùs peccâsse videamur, quòd ista non prædixerimus, audi ab initio omnia. Ac rete quidem ipsum, sagenásque impervias, foris, non intus ex penetrali, per otium antè contemplare: & cùm aduncam hami partem, & aculeum retrorsum conversum, & tridentis cuspides in manus assumpseris, & ad malam inflatam expertus fueris, nisi prorsus acuta, inevitabilia, & in vulneribus molesta *infligendis*, & vehementer trahentia, & inexplicabiliter retinentia videantur, nos quidem inter formidolosos, atque idcirco famelicos, adscribe: téque ipsum ad fiduciam hortatus, hanc prædam aggredere, si vis, lari in morem totam escam hiatu deglutiens. Atque totus hic sermo fortasse tuâ omnino causâ instituetur; quanquam non ad vos philosophos solùm pertineat, aut hos quicunque vitæ gravius institutum sibi delegerunt: verùm etiam ad grammaticos, rhetores, & musicos, omnésque qui ad docendi munus cum

aliis

aliis vivere quæstumque facere volunt. Cæterùm cum ferè communia similiáque sint ea quæ his omnibus accidunt, palam est non eximia quidem philosophis contingere, imò turpiora, cùm sint cum aliis communia, siquidem ii qui conducunt, non aliis præmiis eos quàm reliquos dignantur, nihilóque magis in honore habent. Quicquid igitur narrationis series inveniet, eos potissimum qui talia faciunt, deinde eos qui talia sustinent, ejus culpam ferre æquum est: ego verò culpari non debeo, nisi verè & liberè dicere reprehensionem mereatur. Verumenimverò reliquum hominum vulgus, puta palæstricos, adulatores plebeios, ac suopte ingenio humiles & abjectos homines, ne operæ quidem pretium fuerit, ab istiusmodi convictibus dehortari, neque enim obtemperarent: neque illis vitio vertere æquum est, quòd non relinquant suos conductores, etiamsi plurimis contumeliis affecti ab illis fuerint. Sunt enim ad eam vitæ rationem accomodati, eáque non indigni: præsertim cùm nihil aliud habeant, ad quod se convertant, & in quo se exerceant: adeò ut si quis hanc vitam illis adimat, inertes ilico, desides, inutilésque sint. Quamobrem nec ipsi rem aliquam indignam patiuntur, nec illi contumeliosi videantur, si (quod aiunt) in matellam imminxerint. Etenim jam inde ab initio ad contumelias illas parati sese in familias conferunt. Et illorum ars est, ferre & perpeti quicquid acciderit. Cæterùm quod ad eruditos attinet, de quibus antea mentionem feci, æquum est ut illis indigner,

digner, & pro virili enitar, eos inde revocare, & in libertatem vindicare. Videor autem mihi rectè facturus, si causis, ob quas ad hoc vitæ genus quidem se conferunt, excussis, eas nec valdè urgentes nec necessarias esse demonstravero. Sic enim omnis excusatio illis præripietur, primúmque subeundæ servitutis voluntariæ argumentum. Plerique igitur paupertatem, & rerum necessariarum inopiam proponentes, prætextum hunc satis idoneum se putant obtendisse, quòd ultro ad hoc vitæ genus accesserint: ac sibi sufficere credunt, si dicant veniâ dignum esse quod faciunt, quum rei in vitâ molestissimæ, nempe paupertatis, effugium quærunt. Postea Theognis est in promptu, crebrúmque illud in ore, *nam omnis paupertate subigitur.* Et quotquot alia terricula abjectissimi quique poëtæ de paupertate protulerunt. Equidem si viderim ex hujusmodi convictu eos verè paupertatis effugium aliquod nancisci, non admodum anxiè cum eis de vehementer amplectendâ libertate disceptarem: sed quandoquidem, ut egregius alicubi orator dixit, ægrotorum alimentis similia capiunt, quî fieri possit, ut non in hoc ipsum malè sibi consuluisse videantur, nimirum semper illis manente eodem vitæ illius argumento? semper enim *manet* paupertas, *semper* accipere necesse est, nihil seponitur, nihil superest quod reservetur; verùm quicquid datum fuerit, ut detur, ut affatim capiatur, prorsus omne insumitur, & ita ut ne id quidem in usus sufficiat. At bene cederet, si non excogitarent hujusmodi

sub-

ſubſidia, quæ paupertatem ſervant, eíque duntaxat opitulantur, ſed quæ illam planè tollerent: atque forſitan idcirco eſſet in mare cete habens ingentia projicienda, ut dicis Theogni, & præruptis de ſcopulis *præcipitanda*. At ſi quis ſemper pauper, & egenus, & mercede conductus, hoc ipſo ſeſe arbitretur aufugiſſe paupertatem, non video quî fieri poſſit, quo minus hic ipſe ſeſe fallere videatur. Rurſum alii dicunt paupertatem, nec metum nec ſtuporem ſibi incuſſuram, ſi modò reliquorum hominum in morem poſſent laborando ſibi victum ſuppeditare. At nunc ſibi fractas eſſe corporis vires ſeu ſenio, ſeu morbis, eóque ad eam vitam mercenariam, ut quæ ſit facillima, confugere. Age igitur, verúmne dicant videamus, & num ea quæ dantur, illis ex facili ſuppetant, nec multum, nec plus quàm alii *in conſequendo victu* laborent. Nam id quidem etiam votis expetendum, ut citra laborem, nullóque negotio paratum argentum accipias. Sed hoc meritò dici non poteſt: uſque adeò laborant & defatigantur in his convictibus, ut hîc majore valetudine ad id *ferendum* potiſſimum egeant, quippe cùm quotidie ſexcenta non deſint *negotia*, quæ corpus conficiant, adque extremam uſque defectionem delaſſent. Verùm hæc idoneo tempore dicemus, quum reliquas etiam illorum moleſtias commemorabimus. In præſentiâ ſat erat oſtendere, neque eos vera dicere, qui eâ de cauſâ *in ſervitutem* addicere ſeſe aiunt. Supereſt igitur, quodque veriſſimum quidem eſt, ſed minimè ab

illis proferri solitum, eos voluptatis gratiâ multísque atque amplis spebus incitatos, in *divitum* familias insilire, auri, atque argenti vi obstupefactos, & se beatos fore existimantes ob convivia, reliquasque delicias, sperantesque futurum uti jamjam, nemine vetante, affatim ex aureo poculo bibant. Hæc sunt quæ illos adducunt, atque ex liberis servos faciunt: non rerum necessariarum penuria, quam prætexunt, sed non necessariarum cupiditas, atque ingentium illarum & amplarum opum affectatio. Itaque quemadmodum miseros istos, atque infelices amantes, callidi quidam & veteratores amasii receptant, & fastidiosè tractant, ut semper sint illorum amasii, operam dantes; cæterùm pro amoris fructu ne summum quidem osculum impertiunt: amorem enim factâ copiâ dissolutum iri intelligunt: hanc igitur *amoris dissolutionem* arcent, & diligenter cavent; quod ad alia attinet, amantem spe semper retinent: metuunt enim ne desperatio illum a vehemente cupiditate abducat, amantémque a se alienet. Proinde arrident, pollicentúrque, & semper facturi sunt, *sempér*que gratificaturi, *semper*que ingentium sumptuum rationem habituri: donec imprudentes ambo senuerint, atque utrique jam præterierit ætas, huic ad amandum, illi ad dandum. Itaque nihil ipsis in omni vitâ ultra spem *meram* est peractum. Ac sanè propter voluptatis cupiditatem omnia ferre, non omnino fortè vitio vertendum: quin magis venia danda siquis voluptate capiatur, & hanc undequaque consectetur ut eâ potiatur: quanquam turpe

turpe forsan ac servile, aliquem se ob eam jus alienum tradere. Nam longè suavior est voluptas quæ ex libertate *proficiscitur*. Attamen hoc illis aliquo pacto ignoscendum, si modò consequantur. Verumenimverò ob solam voluptatis spem multas perferre molestias, ridiculum, & stultum arbitror, maximè cùm videant labores esses certos, manifestos, & inevitabiles: illud verò quod speratur, quod nihil aliud tandem est nisi voluptas, ne tam longo quidem tempore contigisse; præterea nec verisimile videri ut aliquando contingat, si modò quis *rem* ex veritate reputet. Ut Ulyssis quidem socii, dulci degustatâ loto, reliqua negligebant, ac præ voluptate præsente honesta contemnebant, ita ut in illis honestatis oblivio non omnino rationi incongrua foret; nimirum animo voluptatis illius sensu occupato. Verùm famelicum alii cuipiam loto sese ingurgitanti, nec quicquam inde impertienti, assistere, idque solùm ob spem quòd credat fore ut & ipsi degustare aliquando detur, *assistere, inquam*, recti & honesti oblitum, Dii boni, quàm hoc ridiculum, & verberibus Homericis reverà dignum! Ergo quæ istos ad hosce convictus adducunt, & quibus impulsi se divitibus dedunt, ad quodcunque libitum fuerit utendos, hæc sunt, aut his quàm simillima. Nisi siquis & eos commemorandos esse judicet, qui solâ gloriâ incitantur, quæ ex convivendo cum illustribus & nitidis viris oritur. Sunt enim qui hoc admirandum, supráque plebem esse existiment: nam quod ad me propriè attinet,

 recu-

recusârim vel cum magno Rege solummodo vivere, convictórque videri, si nihil fructûs ex eo convictu perciperem. Cum igitur hæc sit causa, *cur talem ineant vitam*, age jam consideremus apud nosmetipsos, cujusmodi sint illis perferenda priusquam admittantur, & obtineant, cujusmodi verò in ipsâ vitâ jam constituti patiantur: postremò qualis fabulæ catastrophe illis contingat. Neque enim illud dicere licet, hæc etsi molesta sint, superatu tamen esse facilia, neque multo labore ad ea opus esse, sat autem esse si modò velis, & quidvis postea factu fore facile. Imò necesse est ut diu sursum ac deorsum cursites, assiduè fore obsideas, & ut manè excitatus eum opperiaris, dum protruderis, dum excluderis, dum impudens interdum, atque importunus videris, quando janitori malè syrissanti, ac nomenclatori Libyco subjiceris, quumque nominis tui recordationem mercede redimis. Quin etiam vestitus tibi est apparandus supra tuas facultates, pro illius quem colis dignitate, diligendi colores, quibus ille delectatur, ne discrepes, & oculos ejus, quum videris, offendas. *Oportet etiam* ut ipsum affecteris gnaviter, vel potiùs antecedas, atque interim à famulis protrudaris, ac veluti pompam quandam expleas. At ille per multos dies ne aspicit quidem te. Quòd si res optimè tibi aliquando cesserit, & te respexerit, & accersitum quidlibet interrogârit, tum denique tum multus sudor, multa æstuatio, intempestiva trepidatio, sannæque eorum qui adsunt ob tuam perplexitatem, ac sæpe cùm

sit

ſit reſpondendum quis eſſet Græcorum rex, mille naves illis fuiſſe dicis. Hoc autem modeſti pudorem vocant, audaces timiditatem, improbi verò inſcitiam. Tu igitur primam hanc divitis comitatem periculoſiſſimam expertus, damnatâ tui animi magnâ imbecillitate diſcedis. Porrò ubi jam multas noctes inſomnes duxeris, multóſque dies cruentos egeris, non per Jovem Helenæ & Priami Pergamorum causâ, verùm ſpe quinque obolorum; contigerit autem tibi quiſpiam Deus tragicus qui tibi adſit: exinde reſtat ut exploreris num literas nôris. Atque ea quidem exercitatio diviti non eſt injucunda, quippe qui laudatur interim, ac felix prædicatur: cæterùm tibi videtur tum de animâ, omníque vitâ propoſitum eſſe certamen: nam id meritò te ſubit, futurum ut alius nemo te admittat, cùm a priore rejectus fueris, viſúſque deſpicabilis. Cogeris igitur in varias curas diſtrahi, dum iis invides qui tibi reluctantur (finge enim & alios eſſe ejuſdem fortunæ competitores, te verò tibi videri cuncta non ſufficienter reſpondiſſe) dum etiam metuis, & ſperas, & in ejus faciem oculos defigis: dúmque peris, ſi parvi faciat ea, quæ dicis: at gaudes, ſiquid ridens audit, ac bonâ ſpe fultus conſiſtis. Conſentaneum autem eſt multos eſſe qui tibi adverſentur, alióſque tuo loco ponere velint: quorum unuſquiſque clanculum velut ex inſidiis *in te* jaculatur. Deinde cogita promiſſâ barbâ, & canâ cæſarie virum examinari, numquid utile nôrit, & aliis quidem ſcire, aliis ſecus, vi-

deri: media interim ætas, omnísque tua vita anteacta curiosiùs disquiritur. Quòd siquis, vel civis invidiâ, vel vicinus levi quâpiam de causâ tibi infensus, deferat, & adulterum vel pæderastem interrogatus dicat: illud vulgo dictum, ex Jovis tabulis est testis. Et si omnes pariter te laudent, suspecti, dubii, ac largitione corrupti videbuntur. Necesse igitur est, ut omnia prosperè tibi cedant, nihílque prorsus adversetur; nam hoc solum pacto vincere possis. Age omnia tibi successerint; mirum in modum felix es: ipse enim tuam doctrinam probavit, & amicorum præcipui, & quibus ille plurimam in rebus hujusmodi fidem habet, non sunt dehortati: præterea vult etiam conjux, non refragatur procurator, non œconomus: Nemo etiam tuam vitam insimulavit, dextra omnia, omníque ex parte fausta sunt sacra. Vicisti igitur, ô beate, & coronatus es in Olympicis ludis; imò potiùs Babylonem cepisti, vel Sardium arcem occupâsti. Et habebis Amaltheæ cornu, & Gallinarum lac mulgebis. Jam sanè par est ut pro tantis laboribus quàm maximè bona capias, ne corona tua sit duntaxat frondea, & merces non contemnenda præstituatur, eáque commodè ad usum nullo negotio persolvatur, reliquus item honor vulgari major tibi deferetur: quin & a laboribus illis, a luto, a cursitationibus, a vigiliis requiescas: & quod in votis esse solet, porrectis pedibus dormias, & ea tantùm facias quorum causâ primum receptus es, & conductus. Sic quidem *rem se habere* oportebat, Timocles

cles, nec tam ingens foret malum subditâ cervice jugum ferre leve & portatu facile, quodque omnium est maximum, auro illitum. Sed multum, imò nihil non abest, *ut ità se res habeat:* siquidem in mediis ipsis id genus convictibus sexcentæ res accidunt, ingenuo viro neutiquam tolerandæ. *Quæ* cùm ordine audieris, ipse tecum reputato, num ea perpeti quisquam queat, cui vel minimum cum eruditione commercium fuerit. Exordiar autem, si videtur, a primo convivio cui te affuturum verisimile est, futuræ consuetudinis primordio. Statim igitur ad te venit quispiam qui te ad cœnam accedere jubeat, famulus non incomis, quem tibi priùs propitium reddere oportet, inditis in manum, ne videaris incivilis, ad minimum quinque drachmis: ille verò accissans, apage, inquit: num quid ego a te *accipiam?* quibus addit, Dii prohibeant: tandem flectitur, ac discedit, latè diducto rictu te deridens. Porro tu sumptâ veste nitidâ, teque decenter admodum exornato, lotus venis, solicitus interim ne ante alios venias: inurbanum enim illud, sicuti postremum venire grave. Proinde observatâ opportunitate mediâ ingrederis, téque omnino honorificè excipiunt: tum arreptâ manu quisquam jubet te paulum supra divitem inter duos ferme veteres amicos accumbere. Túque veluti Jovis ædem ingressus, nihil non admiraris, & ad omnia quæ geruntur intentus es. Nova enim & incognita tibi omnia. Interim familia te spectat, præsentium quisque, quid facias, observat: neque non

ea

dum se comparant. Quare totum illud convivium tuum est, & plurimi de te sermones. Cæterùm tu propter insuetudinem, tenuis acrisque vini plus æquo potus, jamdudum urgente alvo malè te habes: attamen neque decorum tibi ante alios surgere, neque manere tutum. At productâ interim potatione, dum sermo alius ex alio nascitur, dum spectaculo spectaculum accedit, (omnia enim sua tibi ostentare cupit) non mediocriter discruciaris, cui *non liceat* neque videre quæ geruntur, neque auscultare siquis voce citharáque canat magni pretii adolescentulus. Laudes tamen necesse est; cæterùm *animo* illud optas, ut vel terræ motu illa omnia concidant, aut incendium aliquod renuncietur, quò tandem aliquando convivium dirimatur. Habes, amice, primum illud & suavissimum convivium, mihi certè nec cepâ, nec sale candido jucundius, quando quantúmque velim liberè edenti. Ut igitur ructus acidos, qui hæc sequuntur, prætermittam, & nocturnum vomitum, manè vobis erit de mercede conveniendum: quantum, & quò anni tempore tibi sit accipiendum. Ergo præsentibus duobus, tribúsve amicis, accersito te, & sedere jusso, *sic* loqui incipit: Cujusmodi sint res nostræ, jam vidisti; utque nihil fastûs ipsis inest, sed ostentatione carent omnes, moderatæ sunt, & quæ plebi conveniunt. Te autem ita gerere par est, quasi hæc omnia nobis essent communia. Ridiculum enim foret si cum potissimam mei partem, nimirum animam meam, vel per Jovem liberorum (si
quos

quos habeat liberos, quibus eruditione sit opus) tibi committam, non aliarum item rerum *te mecum* ex æquo dominum ducam. Cæterùm quando certi quippiam est præfiniendum, equidem video tuæ vitæ frugalitatem, animúmque paucis contentum, atque intelligo te non mercedis spe adductum in familiam nostram venisse, verùm aliarum rerum gratiâ, putà nostræ in te benevolentiæ, & honoris, quem apud omnes consequêris: aliquid tamen præfiniatur. Quinetiam ipse quid velis, dicito, habitâ ratione, vir amicissime, illorum etiam munerum, quæ nos anniversariis festis tibi daturos est consentaneum: neque enim hujusmodi *munera* negligemus, etsi nunc hæc pactione non complectamur. Scis autem complures per annum ejusmodi occasiones *incidere.* Horum igitur habitâ ratione, æquiorem nimirum mercedem nobis irroges: præsertim cùm deceat vos eruditos viros constantiores esse, quàm ut a pecuniâ abduci possitis. Ille his dictis totum te spe variâ labefactatum, sibi tractabilem reddidit: tu verò qui dudum talenta, multáque nummorum millia, totósque agros & domuum multitudinem somniâras, quanquam hominis parcimoniam tacitus apud te intelligis, tamen ob pollicitationem tibi blandiris: atque illud, *communia nobis erunt omnia,* ratum verumque fore arbitraris: ignorans hujusmodi dicta, labra quidem rigâsse, palatum verò non rigâsse. Tandem præ pudore ipse illi *jus statuendi* defers: verùm ille facturum sese negat: & aliquem ex amicis præsentibus in eo negotio medium

dium intercedere jubet, & salarium pronunciare quod neque ipsi grave sit, ut qui & in alia magis his necessaria sumptus faciat, nec accepturo tenue. Atque is seniculus quispiam adulationi a, pueris assuefactus, heus tu, inquit, non potes negare, te omnium qui sunt in urbe esse fortunatissimum, cui hoc primum contigit quod multis valde cupientibus vix a fortunâ dari possit: nempe ut in hujus hominis consuetudinem admittaris, ut communes penates habeas, inque familiam in Romanorum imperio primariam recipiaris; id enim Crœsi talenta & Midæ divitias superat, si modò modestus esse nôris. Equidem multos vidi celebres viros qui voluissent, etsi dandum quid fuisset, solius gloriæ causâ, cum isto vivere, & circa ipsum aspici, & familiares, atque amici videri. Non possum tuam felicitatem satis prædicare, qui faustæ hujus fortunæ præmium etiam accipies. Ergo hoc sufficere putem, nisi planè sis nepos, (ac minimum quiddam pronunciat,) præsertim si cum tuâ spe comparetur: attamen contentus sis necesse est. Neque enim jam possis effugere, cùm intra retia tenearis. Frænum igitur mussans recipis. Ac initio quidem ei non admodum torquenti, nec acutè pungenti te præbes obsequiosum, donec illi tandem paulatim assueveris. Tum homines qui sunt foris, postea te admirantur, quòd te conspiciant intra cancellos versantem, nullóque prohibente ingredientem, & illustrem inter domesticos factum. At ipse nondum vides, quamobrem illis beatus videaris. At tamen

tamen gaudes, téque ipſum decipis, ac ſemper meliora fore putas; nihilominus accidit ſecus quàm ſperaſti, & quemadmodum adagio dicitur, Mandrabuli in morem res procedit, quotidie, ut ita dicam, decreſcens, ac retro labens. Unde paulatim, velut in luce dubiâ, tum primùm deſpiciens, intelligere incipis, aureas illas ſpes nihil aliud fuiſſe quam inauratas quaſdam ampullas: labores autem eſſe graves, veros, inevitabiles, atque aſſiduos. Quinam hi ſint forſan me rogabis: neque enim video quid in hâc conſuetudine ſit adeò moleſtum, neque intelligo iſta quæ commemoras gravia, & intolerabilia. Audi igitur, vir generoſe, non, inſitne huic rei moleſtia, ſolùm inquirens, ſed fœditatem, vilitatem atque omnino ſervilitatem *quam ineſſe dicam*, non perfunctoriè audiens. Principiò memineris ex eo tempore non ampliùs liberum atque ingenuum te putare; hæc enim omnia, genus, libertatem, progenitores extra limen relicturum te ſciàs, quum in hujùſmodi ſervitutem temetipſum addicens ingredieris. Siquidem libertas tecum ingredi nolet, ad res tam ignobiles humileſque te conferente. Servus itaque, etſi nomine ipſo graviter offenderis, non unius, ſed multorum neceſſariò ſervus eris: & capite demiſſo a diluculo ad veſperam, idque vili mercede, operam navabis. Adde quod non admodum probabis, neque magni fies ab hero, ut qui ad ſervitium a puero non fueris inſtitutus, ſed ſerò didiceris, & ætate multum provectus ad id erudiri cœperis. Excruciat autem te ſubiens liber-

libertatis memoria, facítque ut interdum resilias, ideoque in servitute miserè te habeas. Nisi ad libertatem tibi sufficere putas, quod non Pyrrhiæ, nec Zopyrionis sis filius, nec, uti Bithynicum aliquod mancipium, a præcone vociferante divenditus. Atqui, vir optime, quum instante novilunio Pyrrhiæ & Zopyrioni commixtus, manum itidem, ut alii famuli, porrigis, capísque quodcunque illud est tandem quod datur, hæc est venditio. Nam præcone nihil opus erat ad hominem qui sui fuerit præco, multóque tempore ipsi sibi dominum ambiverit. Age sceleste, libenter dicam, in eum præcipuè qui sese philosophum esse dicit, siquis te pirata captum inter navigandum, aut prædo in servitutem tradidisset te ipsum deplorares, ut qui præter meritum infeliciter ageres: aut siquis manu injectâ te duceret, servum esse asserens, leges inclamares, graviter ferres, atque indignareris: & ô Terra! ô Dii! magno clamore vociferareris: nunc verò, ipse te ob paucos obolos, id ætatis in quâ, etiamsi servus natus esses, tamen tempestivum fuisset jam ad libertatem respicere, cum ipsâ virtute ac sapientiâ ultro vendidisti, nihil multos illos sermones reveritus, qui ab egregio Platone, Chrysippo, & Aristotele disseruntur, quum libertatem laudant, servitutem damnant. Nec pudet te cum hominibus assentatoribus, circumforaneis, & scurris, ex æquo æstimari, & in tantâ Romanorum turbâ solum peregrino in pallio versari, & linguam Romanam perperam & barbarè sonare, præterea tumultuosa

convivia

convivia agitare, & conferta magnâ hominum copiâ, ex collectitiis quibusdam & maximâ ex parte improbis, conflatâ. Inter quæ laudas odiosè, bibísque præter modum: deinde manè ad tintinnabulum expergefactus, discussâ somni parte dulcissimâ, unà sursum ac deorsum circumcursas, hesterno luto tibiis etiamdum adhærente. An usque adeò lupinorum, aut agrestium olerum tenuit te penuria, & frigidâ manantes aquâ fontes defecerunt, ut præ consilii inopiâ ad ista devenires? at palam est te, non aquam, non lupinum, sed bellaria, & opsonia, ac vinum fragrans peroptantem, captum fuisse quemadmodum lupus, merito admodum fauces res id genus appetentes transfixum. Itaque præstò sunt hujus intemperantiæ præmia: & perinde atque simiæ, a trunco revinçtus collo, aliis quidem risui es, tibi verò deliciis affluere videris, quod caricarum affatim comedere licet. Cæterùm libertas, ingenuitas, cum gentilibus, & tribulibus evanida sunt omnia: & ne memoria quidem istarum rerum manet. Ac ferendum foret, si turpitudo solùm rei inesset, ita ut pro libero servus viderêre *tantùm*, labores autem non accederent cum illâ famulorum colluvie communes: sed vide num quæ tibi imperantur leviora sint his, quæ Dromoni aut Tibio mandantur. Nam doctrinæ, cujus gratiâ se illius desiderio teneri simulans, te in familiam suam receperat, exigua ipsi cura est. Quid enim, ut aiunt, asino cum lyrâ est commercii? non parum tamen (an non vides?) macerantur desiderio

vel Homericæ ſapientiæ, vel Demoſthenicæ vehementiæ, vel Platonicæ ſublimitatis; quorum ex animis ſiquis aurum, argentum, atque harum rerum curas tollat, nihil fuerit reliquum præter faſtum, mollitiem, luxum, laſciviam, inſolentiam, & imperitiam. Atque ad iſta nihil prorſum opus te. Verùm quoniam promiſſam habes barbam, & vultu gravitatem præ te fers, atque Græcanico pallio decenter amictus es, norúntque omnes te grammaticum eſſe, vel rhetorem, vel philoſophum, pulchrum ille ſibi putat, talem quendam iis, qui ſibi præeunt, & in pompâ anteambulant, permiſceri. Hinc enim videbitur Græcanicarum diſciplinarum ſtudioſus, & in ſummâ, in eruditione elegans. Itaque, vir egregie, vidêris pro literis admirandis barbam & pallium mercede locaviſſe. Proinde ut perpetuò apud illum conſpiciaris oportet, nec abſis unquam, ſed diluculo excitatus in famulitio temet conſpiciendum præbeas, nec ordinem deſeras. Porrò ille nonnunquam injectâ tibi manu, quicquid in mentem inciderit, *de eo* tecum nugatur, obviis oſtentans, quàm ne per viam quidem incedens incurius ſit literarum, ſed otium quod ſuppetit, inter ambulandum in re honeſtâ collocet. At tu miſer nunc curſim, nunc gradatim, ſcanſim ſæpe & deſcenſim (nam ſcis hujuſmodi eſſe urbem) obambulans, tum ſudas, tum anhelas. Eo interim domi cum amico quopiam ad quem acceſſit, confabulante, cùm ne locus quidem tibi ſit, ubi ſedeas, librum in manus ſumptum, neſcius quid agas, ſtans legis. Poſtquam autem

tem impastum, impotúmque te nox occupavit, vix intempestivè lotus circa noctem ferè mediam ad cœnam venis, non ampliùs pari in pretio habitus, neque conspiciendus iis qui adsunt. Verùm siquis recentior advenerit, tu post tergum *rejiceris*. Itaque in angulum aliquem abjectissimum retrusus, accumbis testis tantùm eorum quæ apponuntur, ossa, si ad te usque pervenerint, more canum circumrodens: vel durum malvæ folium, quo reliqua involvunt, si fastidiatur ab iis qui priori loco accumbunt, præ fame libenter masticaturus. Neque verò deest aliud contumeliæ genus: nam tu solus ne ovum quidem habes. Neque enim convenit ut eadem requiras quæ hospites & ignoti, siquidem hæc tua inscitia est. Nec similis aliis *tibi apponitur* avis: verùm diviti illi pinguis & succulenta; tibi verò dimidiatus pullus, subdurúsve aliquis palumbus, in manifestam contumeliam, & ludibrium. Sæpe etiam, si *quid* desit, alio quodam repentè superveniente, tollens minister ea quæ tibi erant apposita, illi apponit, hoc tibi in aurem immumurans, *tu profectò noster es*. Et quum vel suis subventale medium secatur vel cervus, aut distributorem tibi modis omnibus propitium habeas oportet, aut Promethei partem feras, ossa nimirum adipe obducta. Nam quod ei qui supra te *accumbit*, patina sinitur astare, donec satiatus repudiet, te contrà tam celeriter prætercurrat, cui ingenuo tolerabile est, & bilem quantum vel cervi *habent*, habenti? atque illud equidem nondum dixi quòd reli-

 quis

quis ſuaviſſimum ac vetuſtiſſimum vinum bibentibus, tu ſolus malum quoddam & craſſum bibis: ſemper curans ut in argento vel auro bibas, ne color arguat, te uſque adeò neglectum eſſe convivam. Atque utinam ex eo ad ſatietatem uſque bibere liceret: at nunc ubi crebrò popoſceris, miniſter audiſſe diſſimulat. Adde quòd multa idque confertim, imò ferè omnia diſcruciant: maximè quum tibi cinædus aliquis antefertur, aut choreæ ducendæ præceptor, aut qui cantilenas Ionicas contexit Alexandrinus quiſpiam homunculus. Nam quî ſperes tu, ut in accubitu æqueris iis, qui amatoria ſubminiſtrant, quíque in ſinu literulas geſtant? proinde in aliquo convivii latibulo præ pudore abſtruſus, ſuſpiras, ut conſentaneum eſt, téque ipſum deploras, tuámque fortunam incuſas, quæ tibi ne gratiarum quidem guttulam aſperſerit. Ac prorſus mihi videris potare ut componere poſſes amatorias cantiunculas, aut ſaltem ab aliis compoſitas dignè canere. Vides enim quâ in re ſitum ſit, ut quis præferatur, ac probetur. Quin & illud ferre queas, ut magi quoque aut arioli perſonam, ſi neceſſe ſit, induas, ex horum genere qui amplas hæreditates, qui imperia, qui cumulatas opes pollicentur: quandoquidem vides etiam iis amicitias benè cedere, eoſque plurimi a divitibus fieri. Eóque vel unum quodlibet horum fieri percupias, ut ne rejectaneus & inutilis fias. Atqui tu infelix, neque in iſtis es illecebroſus. Quare neceſſe eſt ut te ſubmittas, ac tacitus feras, clam apud te plorans, & neg-

lectui habitus. Etenim si te famulus aliquis susurro deferat, qui solus omnium non laudaveris heræ puerum saltantem, aut citharâ canentem, istâ ex re non leve discrimen *impendet*. Oportet igitur ut ranæ terrestris in morem sitiens vocifereris, atque operam des, ut inter laudantes sis insignis & præcipuus; quin sæpiculè, silentibus reliquis, tibi provisa quæpiam laus est proferenda, quæ multam commonstret assentationem. Porrò te esurientem & sitientem unguento collini, & capite gestare coronam, aliquantulum est ridiculum. Tunc enim similis es columnæ obsoleti cadaveris, libamina ducentis. Nam ei infuso unguento, & impositâ coronâ, bibunt ipsi, edúntque apparatas epulas. Porrò si Zelotypus fuerit herus, eíque sint formosi pueri, vel uxor juvenis, & tu non omninò sis a Venere & Gratiis alienus, non satis tuta res est, nec periculum contemnendum. Aures enim & oculi regis multi sunt, qui non solùm vera vident, sed semper aliquid addunt, ne connivere videantur. Quamobrem vultu demisso, quemadmodum in Persicis conviviis, tibi est accumbendum, verito nequis eunuchus videat te oculos in concubinam aliquam conjicientem: moxque alter eunuchus, cui jamdudum arcus in manu tensus est, malam *tui*, qui videris quæ videre nefas, inter bibendum sagittâ transfigat. Jam relicto convivio, ubi paululum dormieris, sub galli cantum expergefactus, ô me miserum! inquis, ô infortunatum! cujusmodi pristinos convictus & amicos reliqui, & vi-

tam tranquillam, somnúmque ad cupiditatem dimensum, ac liberas deambulationes, & in quale barathrum memet præcipitem dedi? quorsum, Dii immortales! aut quoddam est hoc splendidum præmium? non enim fieri poterat, ut plures illis commoditates alio modo mihi suppeditarem: quin & accedebat libertas, omniáque penes me erant. Nunc verò, quod aiunt, leo cordulâ victus, sursum ac deorsum circumferor: quodque omnium est maximè deplorandum, nec efficere possum ut in existimatione sim, nec gratiam emereri queo: harum enim rerum rudis sum, ac imperitus, maximè si cum illis comparer, qui hæc *velut* artem profitentur. Proinde injucundus sum, ac minimè conviviis aptus, quippe qui ne risum quidem concitare nôrim. Quin me, dum in conspectu ejus sum, molestum esse illi intelligo, ac in primis qùum ipse seipso vult esse jucundior. Illi enim tetricus videor: in summâ, nullo pacto ipsi accommodari possum. Etenim si meam gravitatem tuear, injucundus, ac propemodum fugiendus videor: contrà si risero, vultúmque quàm possum maximè ad hilaritatem composuero, contemnit illico, & respuit. Idque perinde mihi videtur esse ac siquis personâ tragicâ indutus Comœdiam agat. Postremò quam tandem aliam vitam mihi demens vivam, posteaquam alteri hanc vixi? Dum hæc tecum meditaris, sonuit tintinnabulum, & jam necesse est eadem aggrediaris, & obambules, & stes, sed ceromate inunctis priùs femoribus poplitibúsque, si modo velis par esse labori. Deinde

inde convivium idem & eâdem apparatum horâ; jámque vivendi ratio superiori contraria: tum vigiliæ, sudor, defatigatio, paulatim subruunt te, vel tabam vel pulmonis inflammationem, aut colicum dolorem, aut egregiam illam podagram inducendo. Attamen reluctaris: ac sæpe cùm tibi *per valetudinem* esset decumbendum, neque hoc conceditur: morbus enim prætextus esse putatur, quo officia defugias. Itaque præter omnes perpetuò palles, & jam jam morituro similis es. Et hæc sunt, quæ in urbe *feras necesse est*. Quod si quando sit peregrinandum (ut ne interim referam alia incommoda) sæpe fit ut pluvio cœlo, ubi postremus veneris, (nam is locus tibi sorte contigit) vehiculum opperiaris, donec nullo jam reliquo loco ubi sedeas, prope coquum aut heræ comptorem te infarciant, ne stipulis quidem affatim substratis. Nec me piget tibi referre quod Thesmopolis ille Stoicus narravit sibi accidisse, rem planè ridiculam, & quam alii cuivis accidere posse non desperaveris. Convivebat enim cum opulentâ quâdam ac delicatâ muliere ex illustribus illis civibus. Cùm autem aliquando peregrè proficiendum esset, primò quidem sibi hoc planè ridiculum accidisse dixit, traditum fuisse sibi, qui philosophus esset, quendam cinædum picatis cruribus, derasâ barbâ, propè se collocandum: quem, ut conjicio, illa secum honoris gratiâ ducebat. Quin & nomen cinædi commemorabat: *aiebat* enim Chelidonium appellari. Hoc utique primum cujusmodi *fuerit, vide*, juxta virum tetricum, &

 senem,

senem, canóque mento (ſcis autem quàm profundam & venerabilem barbam habuerit Theſmopolis) aſſidere hominem fucatum, picturatis oculis, lubrico aſpectu, fractâ cervice, non Chelidonem per Jovem, id eſt hirundinem, ſed vulturem magis, revulſis barbæ plumis; ac niſi magnopere illum deprecatus fuiſſet, reticulum etiam in capite geſtans, aſſediſſet. Præterea autem per totum hoc iter moleſtias innumerabiles pertuliſſe ſeſe illo cantillante, & garriente, imò (niſi ipſe hominem coërcuiſſet) fortaſſe etiam in rhedâ ſaltaturo. Secundo loco tale quiddam etiam ſibi mandatum fuiſſe *addebat*. Accerſito illo, mulier, Theſmopoli, inquit, ita. Dii tibi benefaciant, officium non exiguum poſcenti præſta, nihil refragans, nec ut te ſæpius rogem expectans. Cúmque hic, ut par erat, omnia facturum ſe promiſiſſet, hoc, inquit, te rogo, quandoquidem video te virum probum, diligentem, & amantem, caniculam, quam nôſti, Myrrhinam in vehiculum recipe, eámque mihi ſerva, & cura ne quid illi deſit: miſera enim illa gravi eſt ventre, & partui propinqua: at iſti ſceleſti & immorigeri famuli non ſolùm non ejus, ſed ne mei quidem ipſius magnopere rationem habent in peregrinationibus. Quare putes te mihi non mediocre beneficium facturum, ſi chariſſimam mihi jucundiſſimámque caniculam ſervâris. Pollicebatur *ſe ſervaturum* Theſmopolis, cùm illa tantopere rogaret, ac propemodum fleret. Res autem prorſus ridicula erat: canicula e pallio paulum infra barbam proſpectans, ac

ſubinde

ſubinde immeiens, (etſi Theſmopolis hæc non addidit) ac gracili voce latrans, (tales enim catellæ ſunt Melitææ) neque non philoſophi mentum oblingens, maximè ſiquid pridiani juris inhæreret. Porrò cinædus aſſeſſor ille, quum aliquando non inſulsè & in alios, qui convivio aderant, jocatus eſſet, poſtquam ad Theſmopolidem dicacitas pervenit, de Theſmopolide, inquit, unum hoc dicere poſſum, eum e Stoico Cynicum jam nobis eſſe factum. Equidem audivi caniculam etiam in Theſmopolidis pallio peperiſſe. Hujuſmodi ludibriis, imò potiùs contumeliis convictores excipiunt, manſuetos illos *ad ferendas* contumelias paulatim reddentes. Novi præterea mordacem oratorem, qui juſſus in convivio declamavit, neutiquam ineruditè per Jovem, ſed vehementer, magnóque cum applauſu: tum autem laudabatur inter bibendum, quod non ad clepſydram, ſed ad vini amphoram diceret: auſúmque illud ſuſcepiſſe dicebatur pro ducentarum drachmarum pretio. Hæc quidem fortaſſe ſunt tolerabilia. Porrò ſi dives ipſe aut poëſeos fuerit aut hiſtoriæ ſcriptor, qui ſua ſcripta recitet in convivio, tum vel maximè diſrumparis oportet laudando, aſſentando, novóſque laudandi modos excogitando. Sunt autem qui velint in admiratione ob formam eſſe; & licet naſos cubitales interdum habeant, Adonidas, & Hyacinthos oportet eos vocare. Tu igitur ſi non laudâris, protinus in lapicidinas Dionyſiacas aſportaberis, tanquam qui illi tum invideas, tum inſidieris. Oportet etiam ut illi

ſint

sint sapientes & oratores: ac quamvis solœcismum aliquem commiserint, id quod dici solet, Atticâ eloquentiâ, & Hymetti melle plena videatur oratio, atque deinceps in legem abeat, ut ita loquantur *homines*. Atqui hæc, quæ viri faciunt, fortasse sunt ferenda. At verò mulieres, (nam mulieribus hoc etiam studio est, ut doctos aliquos in suo convictu conductitios habeant, quique vehiculum affectentur) videtur enim illis hoc quoque unum esse inter alia ornamenta, si dicatur eas esse eruditas & philosophas, & carmina componere. Sapphicis haud multo inferiora, ac propterea etiam hæ conductitios Rhetores, Grammaticos, & Philosophos secum circumducunt. Hos autem audire solent, (id quod ipsum est ridiculum) quum vel comuntur, vel capillos religant, vel in convivio: aliàs enim non vacat. Cæterùm sæpe etiam interim dum Philosophus differit, interveniens ancilla literas ab adultero missas porrigit: ac præclari illi de pudicitiâ sermones intermittuntur, opperientes donec illa rescripserit adultero, & ad auditionem redeat. Quum autem longo post tempore Saturnalibus, aut Panathenæis instantibus, miserit tibi miseram pœnulam, aut subputrem tunicam, tum præcipuè multam magnámque pompam celebrare oportet. Et primus quidem illico, etiamnum cunctantem dominum audiens, præcurrens ante alios nunciat, & accepto non exiguo nuncii præmio, discedit. Manè verò tredecim tibi *aliquid* afferunt, quorum quisque commemorat, ut multa dixerit, ut sub-

submonuerit, cùm ei commissum esset negotium, optimam vestem elegerit: omnes itaque accepto *præmio* discedunt, insuper mussitantes, quòd plura non dederis. Salarium enim ipsum est duorum circiter, & quatuor obolorum: idque si tu postules, gravis, & importunus videris. Quò igitur accipias, hero blandiendum est & supplicandum: est & captandus officiis œconomus. Estque hic alius etiam servitutis modus. Neque verò negligendus is, quem in consilium adhibet, & qui amicus est. Deinde quod acceperis, jam dudum debebatur vel vestiario, vel medico, vel cerdoni cuipiam. Quare dona, quæ accipis, pro donis haberi non possunt, sed sunt prorsus inutilia; invidia verò multa est: quinetiam calumnia sensim excitatur apud virum qui jam libenter admittit, siquid contra te dicatur: quippe qui perspiciat te jam assiduis laboribus attritum, & ad munia famulatûs obeunda claudicantem, atque deficientem, & podagram tibi suborientem. Proinde posteaquam id quod erat in te florentissimum decerpsit, ævíque partem maximè frugiferam, ac præcipuum corporis vigorem detrivit, jamque te lacerum pannum reddidit, tum circumspicit in quod sterquilinium te deportatum abjiciat, atque alium ex iis, qui perferendis laboribus sunt idonei, in tuum locum assumat. Ibi insimulatus, vel quòd pusionem ejus tentâris, vel quòd homo senex uxoris ancillam virginem vitiâris, vel aliûs hujusmodi criminis, noctu obvolutus, in cervicem extrusus, discedis desertus ab omnibus, & rerum omnium in-

ops,

ops, optimam podagram unà cum senectute comitem sumens. Cùm interim quæ quondam sciveris, tanto temporis spatio dedidiceris, tum ventrem culeo reddideris ampliorem, inexplebile quoddam, & implacabile malum; etenim gula ea quibus insuevit, flagitat; quæ dum dediscit, indignatur. Præterea nemo alius te posthac recepturus est, jam exoletum, & equis senio confectis similem, quorum ne pellis quidem perinde ac antea est usui. Quin ex hoc ipso quod ejectus es, calumnia majorem ad verisimilitudinem conficta, facit ut aut adulter, aut veneficus, aut aliud quippiam tale videaris. Nam accusator etiam tacens fide dignus habetur: tu verò Græculus, moribus levibus, & ad scelus omne facilis. Vos enim omnes hujusmodi esse ducunt; ídque jure optimo: nam mihi causam advertisse videor, cur ita de vobis sentiant. Etenim plerique qui in familias veniunt, quoniam boni aliud nihil nôrunt, divinationem ac veneficia pollicentur, in rebus, quæ ad amorem pertinent, gratiam, & hostibus mala. Idque eruditos sese affirmantes, palliis involuti, & promissas habentes barbas non contemnendas. Quare eadem de omnibus meritò suspicantur; quos optimos putabant, cùm tales videant, ac in primis usitatam illis, & in conviviis, reliquóque convictu adulationem observent, quinetiam in captando lucro servilem animum. Ejectos autem eos oderunt, neque injuriâ: & undiquaque rationem quærunt, quâ si possint, eos funditus perdant. Cogitant enim fore ut multa illa suæ

naturæ arcana, ut qui omnia exactè nôrint, & qui nudos illos viderint, in vulgus efferant. Illud igitur eos angit. Omnes enim sunt similes pulcherrimis istis libris; quorum aurei *sunt* umbilici, & purpurea extra pellis: sed intus vel est Thyestes liberos suos comedens, vel Oedipus cum matre consuescens, vel Tereus cum duabus pariter sororibus rem habens. Tales & ipsi sunt, splendidi, & admirandi, sed qui sub purpurâ multam tragœdiam intus occultant: quorum unumquemque si evolveris, Euripidis alicujus, aut Sophoclis fabulam non parvam invenies; extra verò est purpura splendida, & aureus umbilicus. Harum itaque rerum sibi conscii, oderunt, atque insidias parant, siquis ab illis defecerit, qui eos probè cognitos depingat, *qualésque sint*, evulget. Jam verò libet mihi Cebetis illius exemplo & imaginem quandam hujusce vitæ tibi depingere, quam contemplatus scire queas, num ex usu tuo sit eam adire. Equidem libenter rogarem, vel Apellem quempiam, vel Parrhasium, vel Aëtionem, vel Euphranorem tabulam hanc depingere. Verùm quia fieri non potest, ut nunc artificem aliquem tam egregium, támque absolutum nanciscar, tenuem pro virili imaginem tibi adumbrabo. Ergo pingatur sublime ac inauratum vestibulum, neque id humi situm in solo, verùm procul a terrâ, in collis fastigio, cujus aditus valdè sit acclivis & lubricus, ita ut plerumque, qui jam in vertice se fore sperarent, lapso pede *præcipitati* cervicem frangant. Intus autem Plutus ipse sedeat, totus, sicuti videtur,

detur, aureus, formosus admodum, & amabilis. Porrò amator, ubi vix tandem conscendit, jámque ad fores accessit, obstupescat, oculis in aurum defixis. Deinde & Spes, quæ & ipsa speciosa vultu est, & versicoloribus amicta, *manu* prehensum introducat, mirè jam ipso ingressu attonitum. Exinde Spes illi semper præeat: tum aliæ mulieres, Fallacia & Servitus, eum exceptum Labori tradant: Hic verò miserum illum diu exercitatum tandem Senectæ tradat jam morbidum, & colore commutato. Postrema verò Contumelia arreptum illum ad Desperationem & pertrahat, & ex eo tempore Spes avolans evanescat: tum ille non ampliùs per fores aureas, per quas fuerat ingressus, sed per posticum & occultum exitum expellatur, nudus, ventricosus, pallidus, senex: lævâ pudorem occultans, dextrâ seipsum strangulans. Occurrat autem exeunti Pœnitudo frustrà lachrymans, & miserum insuper conficiens. Atque hic esto picturæ finis. Tu igitur, optime Timocles, ipse diligenter consideratis singulis, expende num e re tuâ sit ut in hanc imaginem per aureas illas fores ingressus, per illas longè dissimiles tam turpiter excidas. Quicquid autem feceris, memineris sapientis illius, qui dixit, Deum in culpâ non esse, sed culpam esse ejus, qui delectum fecerit.

VITA-

VITARUM AUCTIO.

JUPITER.

TU quidem compone ſcamna, & locum advenientibus adorna: tu verò ſiſte Vitas ordine adductas, ſed exornatas priùs, ut formoſæ appareant, & quamplurimos alliciant. Tu autem, Mercuri, quod felix fauſtúmque ſit, proclama, & emptores, ut jam ad forum adſint, convoca. Philoſophicas autem omnis generis, & variarum ſectarum Vitas proclamabimus. Quòd ſi quis præſentes pecunias numerare nequeat, is conſtituto ſponſore ſequenti anno ſolvet. MERC. Multi conveniunt: Itaque nec cunctari, nec diu ipſos detinere par eſt. JUP. Vendamus igitur. MERC. Quem vis ut primum producamus? JUP. Comatum illum, ex Ioniâ profectum, gravitatem enim quandam præ ſe fert. MERC. Heus tu, Pythagorica *Vita,* deſcende, téque his qui ſunt congregati, conſpiciendum præbe. JUP. Proclama. MERC. Optimam vitam vendo, & maximè venerandam; quis emet? quis homine major eſſe vult? quis cupit univerſitatis harmoniam nôſſe, & reviviſcere? MERCAT. Formâ certè non eſt illiberali: verùm quid potiſſimùm ſcit? MERC. Arithmeticam, Aſtronomiam, Prodigiorum ſcientiam, Geometricam, Muſicam, Præſtigiorum artem: vatem ſummum vides. MERCAT. Licet ne ipſum interrogare? MERC. Quód fauſtum ſit, interroga. MERCAT. Cujas es tu? PYTH. Samius. MERCAT. Ubi verò inſtitutus

es?

es? PYTH. In Ægypto, apud ſapientes qui illic ſunt. MERCAT. Age verò, ſi te emam quid me docebis? PYTH. Nihil equidem docebo, ſed ut reminiſcaris faciam. MERC. Quomodo facies ut reminiſcar? PYTH. Primùm animam tuam puram reddendo, & ſordes, quæ ipſi inhæreſcunt, abluendo. MERCAT. Atqui finge me jam purum eſſe: quis erit modus quo facies ut reminiſcatur? PYTH. Primùm quidem, longa quies, & taciturnitas, & quinquennale ſilentium. MERCAT. Ergo, bone vir, te Crœſi filium decet erudire: ego enim loquax, non ſtatua eſſe volo. Verùm quid poſt illud quinquennale ſilentium fiet? PYTH. In Muſicâ, & Geometriâ exercebere. MERCAT. Rem lepidam dicis: ſi me priùs citharœdum fieri, deinde ſapientem oporteat. PYTH. Poſt hæc numerandi artem addiſces. MERCAT. Nunc etiam numerare ſcio. PYTH. Quomodo numeras? MERCAT. Unum, duo, tria, quatuor. PYTH. Vides ea eſſe decem, quæ tibi quatuor videntur, & perfectum trigonum, noſtrúmque juramentum. MERCAT. Per maximum igitur juramentum quatuor, nunquam aut diviniores, aut ſanctiores ſermones audivi. PYTH. Poſt hæc verò, hoſpes, de terrâ, aëre, aquâ, & igne ſcies, cujuſmodi ſit illis impetus, quam habeant formam, & quomodo moveantur. MERCAT. Formam ne habent ignis, aër, & aqua? PYTH. Certè manifeſtam. Neque enim ſine formâ & ſpecie moveri poſſent. Præterea ipſum etiam Deum numerum eſſe, & harmoniam cognoſces. MERCAT. Mira narras.

PYTH.

Pyth. Ad hæc quæ dicta sunt, te ipsum quoque, qui unus videris, alium conspici, alium verò esse scies. Mercat. Quid ais? alius sum, & non is qui tecum nunc colloquor? Pyth. Nunc quidem ille es, quondam verò in alio corpore, alióque nomine videbaris; & progressu temporis iterum in aliud transibis. Mercat. Hocne dicis, immortalem ne fore, dum plures in formas mutabor? sed de his satis. Jam quod ad victûs rationem attinet, qualis es? Pyth. Nullum quidem animal edo; sed reliqua omnia, præter fabas. Mercat. Quamobrem odisti fabas? Pyth. Non *odi:* sed sacra sunt, & ipsarum natura mirabilis: ac primùm genitale sunt in totum: & si fabam adhuc viridem exueris, videbis eam virilibus membris similem naturam *habere*. Elixam verò si certis noctibus Lunæ exposueris, sanguinem facies. Et quod majus est: consuetum est Atheniensibus, fabis magistratus eligere. Mercat. Præclarè & religiosè omnia dixisti. Verùm te exue: etenim nudum te videre volo. Hercle! Femur est illi aureum: Deus, non mortalis videtur esse: itaque illum omnino emam. Quanti illum æstimas? Merc. Decem minis. Mercat. Tanti acceptum habeo. Jup. Scribe nomen emptoris, & unde sit. Merc. Italus videtur esse, Jupiter, ex iis qui Crotonem, & Tarentum, ibique sitam Græciam incolunt. Atqui non unus tantùm, sed propè trecenti ipsum communiter emerunt. Jup. Abducant: alium adducamus. Merc. Vis squalidum illum ex Ponto? Jup. Maximè. Merc. Heus tu, ex quo

pera dependet, qui exomidem indutus es, accedas, & confessum hunc circumeas. Vitam virilem vendo: vitam optimam, & generosam, vitam liberam; quis emet? MERCAT. Quid dixisti, præco? tûne liberum vendis? MERC. Maximè. MERCAT. Annon times plagii te accuset, aut in Areopago tibi litem intendat? MERC. Nihil ipsi curæ est quòd venditur: omnino enim liberum se esse putat. MERCAT. At cui foret usui hic sordidus, támque miserè affectus? nisi quis fossorem, & aquæ gerulum facere ipsum velit. MERC. Non hoc tantùm: imò si ipsum quoque janitorem constitueris, ipso longè fideliore quàm *aliis* canibus utêre: nimirum & ille canis appellatur. MERCAT. Cujas autem est, & quam artem profitetur? MERC. Ipsum interroga: sic enim facere præstiterit. MERCAT. Vultum ipsius severum & tristem timeo, & ne me accedentem allatret, aut per Jovem mordeat; non vides ut baculum sustulit, & supercilia contraxit, & limis oculis præ se fert minax aliquid & iracundum? DIOG. Ne timeas: cicur enim est. MERCAT. Primùm quidem, ô bone, cujas es? DIOG. Omnis ego sum soli. MERCAT. Quid ais? DIOG. Mundi civem vidès. MERCAT. Quem verò imitaris? DIOG. Herculem. MERCAT. Cur non igitur & leoninam pellem induis? quoad baculum enim ipsum assimilas. DIOG. Hoc palliolum leonicæ pellis loco mihi est, & quemadmodum ipse adversus voluptates pugno, non jussus, sed sponte meâ, cùm vitam expurgare constituerim. MERCAT. Euge, quàm præclarum

præclarum institutum! sed quid te potissimùm scire dicamus? aut quam artem nôsti? DIOG. Liberos homines facio, & medeor affectibus. In summâ, Veritatis & Audaciæ in loquendo antistes esse volo. MERCAT. Age, ô Antistes, si te emero, quomodo me exercebis? DIOG. Primùm ubi te accepero, & deliciis exuero, & unà cum egestate conclusero, te palliolo amiciam: deinde ad labores compellam: tum humi dormire, aquam bibere, & iis rebus quæ casu offeruntur, vesci faciam. Divitias verò siquas habueris, meo consilio, eas in mare projicies: nuptias, liberos, patriámque non curabis; sed tibi nugæ erunt hæc omnia: & relictâ domo paternâ, sepulchrum, aut desertam turriculam, aut dolium incoles; & pera tibi erit lupinis & libris opisthographis plena. Hoc modo instructus, magno illo rege feliciorem te prædicabis. Quòd siquis verberet te aut torqueat, nihil horum molestum esse putabis. MERCAT. Quomodo hoc dicis, me cæsum scilicet non doliturum? non enim testudinis aut carabi cute circumseptus sum. DIOG. Illud Euripidis imitabere: paucis immutatis. MERCAT. Quale illud est? DIOG. Mens tibi dolebit, sed lingua erit expers doloris. Quæ verò imprimis tibi adsint necesse est, hæc sunt: oportet ut sis impudens, & audax, & omnibus ordine, tam regibus, quàm privatis maledicas: Ita enim *fiet ut omnes* in te oculos conjiciant, téque fortem esse existiment. Barbara quoque vox, & sonitus absonus, ac planè similis sit canino: intentus sit vultus: & gressus, qui talem vultum

 deceat;

deceat; in ſummâ belluini & agreſtes ſint mores omnes: abſint autem verecundia, lenitas & modeſtia: erubeſcendi etiam facilitatem de facie prorſus abſtergas: loca hominibus frequentiſſima conſectere: & in his ſolus, & ſine ullo commercio eſſe velis, neque amicum, neque hoſpitem adeundo: nam res iſtiuſmodi hoc imperium diſſolvent. In conſpectu verò omnium ea facias audacter, quæ ne privatim quidem quiſpiam alius faceret: & Venerem maximè ridiculam eligas. Denique ſi tibi videtur, crudo polypo, vel ſepiâ devoratâ mortem oppetas. Hæc eſt illa felicitas, quam tibi procuramus. Mercat. Apage, ſceleſta enim & inhumana dicis. Diog. Sed, heus tu, ſanè facillima, & quæ quis nullo negotio aſſequatur. Neque enim ad *gloriam conſequendam* tibi opus erit eruditione, orationibus, ac nugis; ſed hæc eſt compendiaria ad gloriam via. Sive enim imperitus fueris, ſive coriarius, ſive ſalſamentarius, aut faber, aut nummularius: nihil tamen vetat quo minùs ſis admirationi, ſi modò adſit impudentia, & audacia, & conviciari egregiè didiceris. Mercat. Ad hæc non indigeo tuâ operâ. Forſan autem nauta, vel hortulanus per occaſionem fieri poſſes: idque ſi velit iſte duobus ad ſummum obolis te vendere. Merc. Eum accipe. Nam ab eo libenter liberabimur, cùm nos clamoribus obturbet, prorſúſque omnes contumeliis & maledictis laceſſat. Jup. Alium accerſe, purpuratum illum & coronatum Cyrenæum. Merc. Agite, animum advortite omnes. Hæc res ſumptuoſa eſt & divitibus

 indiget.

indiget. Vita hæc jucunda, vita ter beata eſt. Quis cupit delicias? quis molliſſimum emet? MERCAT. Accede tu, & dic quid nôris. Emam enim te, ſi utilis fueris. MERC. Ne obturba ipſum, ô bone, neque interroga: ebrius enim eſt. Itaque non poterit tibi reſpondere, cum linguâ, ut vides, titubet. MERCAT. Ecquis mentis compos emat tam corruptum & intemperans mancipium? quot unguenta olet, quàm lubrico, & errabundo greſſu incedit! ſed dic, Mercuri, quibus artibus ſit præditus, & quænam tractare ſoleat. MERC. In ſummâ convictor eſt, & compotor egregius: & ad laſcivas ſaltationes unà cum tibicinâ exercendas amatori, & perdito cuipiam hero idoneus. Cæterùm *parandorum* bellariorum gnarus eſt, & in ordinandis eduliis exercitatiſſimus: breviter, voluptatis ingenioſus eſt artifex. Inſtitutus autem eſt Athenis, & Siciliæ tyrannis ſervivit, apud quos in magno pretio fuit. Summa verò propoſiti ipſius eſt, omnia contemnere, omnibus rebus uti, undique voluptatem corrogare. MERCAT. Tempus eſt ut aliquem ex divitibus, & pecunioſis iſtis circumſpiciendo quæras. Ego enim non ſum idoneus qui hilarem emam vitam. MERC. Iſte, ô Jupiter, quantum apparet, inemptus nobis manebit. JUP. Amove illum, aliúmque adduc: ſeu potiùs duos iſtos, ſcilicet ridentem illum Abderitam, & flentem illum Epheſium: ſimul enim vendi volunt. MERC. Deſcendite in medium. Vitas optimas vendo: omnium ſapientiſſimos proclamo. MERCAT. O rem contrariam,

riam, Jupiter! ille quidem perpetuò ridet: hic aliquem videtur lugere: omnino enim plorat: heus tu, quid hoc sibi vult? quid rides? DEMOC. Interrogas? quoniam ridicula videntur omnia quæ facitis, ac vos ipsi. MERCAT. Quid ais? nos omnes irrides, résque nostras nibili facis! DEMOC. Sic est, serium enim nihil ipsis inest: sed inania sunt omnia, & atomorum concursio, & infinitio. MERCAT. Nequaquam, imò tu vanus es reverà, & imperitus. O contumeliam! non desines ridere? tu verò quid fles, ô optime? nam tecum colloqui longè, ut puto, melius fuerit. HERACL. Existimo enim, ô hospes, calamitosas & flebiles esse res humanas, nihílque ex illis non esse fato obnoxium: eas idcirco miseror, & lamentor. Præsentia magni non facio: futura planè ærumnosa *fore puto:* conflagrationes dico, mundíque totius calamitatem: ista sunt quæ ego deploro; quóque nihil stabile est; sed omnia in cyceonem quodammodo convolvuntur: tum *quod* eadem res delectat, & offendit, estque cognitio, ignoratio, magnum, parvum: sursum, deorsum feruntur omnia, pérque vices in hoc sæculi ludo mutantur. MERCAT. Quidnam est sæculum? HERACL. Puer ludens, ludens talis, contendens. MERCAT. Quid verò homines sunt? HERACL. Mortales Dii. MERCAT. Quid verò Dii? HERACL. Immortales homines. MERCAT. Heus tu ænigmatà dicis, an griphos componis? planè enim, tanquam Apollo, nihil explicas. HERACL. Nihil enim vos curo. MERCAT. Itaque neque quisquam mentis compos

te

te est empturus. HERACL. At ego omnes sine discrimine homines plorare jubeo, tam eos qui me emunt, quàm qui non emunt. MERCAT. Hoc malum ab insaniâ non distat: neutrum horum emam. MERC. Inempti etiam hi manent. JUP. Alium proclama. MERC. Visne loquacem illum Atheniensem? JUP. Maximè. MERC. Accede tu. Vitam bonam & prudentem proclamamus, quis emet sanctissimum hominem? MERCAT. Dic mihi, quàm potissimùm artem nôsti? SOC. Pæderastes sum, & in rebus quæ ad amorem spectant prudens. MERCAT. Quî ergo te emam? etenim opus habeo pædagogo ad puerum, qui mihi formosus est, erudiendum. SOC. At quis magis me idoneus esse queat, qui cum formoso puero versetur? etenim non sum amator corporum: sed animam formosam existimo: & quanquam sub eodem palliolo mecum decumbent, dicentes illos audies, se nihil grave a me perpeti. MERCAT. Incredibilia dicis, eum qui sit pæderastes, nihil præter animam curare; præsertim cùm jacendi sub eâdem veste fiat copia. SOC. Atqui per canem, & platanum, rem se sic habere juro. MERCAT. Hercle! quanta absurditas Deorum! SOC. Quid tu dicis? non videtur tibi canis esse Deus? nonne vides quantus sit in Ægypto Anubis, in cœlo Sirius, apud inferos Cerberus? MERCAT. Rectè dicis: ego verò peccavi: verùm cuinam vitæ generi insistis? SOC. Civitatem quandam, quam mihi ipsi extruxi, incolo: peregrinâ autem politiâ utor, meásque leges præscribo. MERCAT. Unum aliquod ex tuis dogmatibus audire velim.

velim. Soc. Audi ergo maximum illud, dogma ſcilicet meum de uxoribus. Cenſeo nullam debere cujuſquam eſſe propriam, ſed quenquam, qui ita voluerit, nuptiarum eſſe participem. MERCAT. Quid ais? ſuntne abrogandæ leges de adulterio? Soc. Ita per Jovem, utque non verbo dicam, reliquæ omnes nugæ eâ de re conſtitutæ. MERCAT. Quid verò tibi de pueris in ætatis flore videtur? Soc. Et hi optimatibus, qui præclari aliquid ſtrenuique geſſerunt, præmio erunt, ut eos oſculentur. MERCAT. Papæ quanta liberalitas! ſed quæ tuæ ſapientiæ eſt ſumma? Soc. Ideæ, & eorum quæ exiſtunt paradigmata. Nam quæcunque vides, terram, quæ ſupra terram ſunt, cœlum, mare, omnium horum imagines obſcuræ extra univerſitatem exiſtunt. MERCAT. Ubi autem exiſtunt? Soc. Nullubi: nam ſi alicubi eſſent, non eſſent. MERCAT. Hæc, quæ dicis, paradigmata non video. Soc. Meritò: cæcus enim eſt tibi animæ oculus. Ego autem omnium rerum video imagines, & te latentem, & me alium: in ſummâ, duplicia video omnia. MERCAT. Ergo emendus es, ſapiens cùm ſis, & acutè cernas. Age videam quid tu a me pro ipſo exiges. MERC. Da duo talenta. MERCAT. Emi quanti dixiſti: pecuniam verò in poſterum numerabo. MERC. Quodnam igitur tibi nomen eſt? MERCAT. Dion Syracuſius. MERC. Age, quod felix fauſtúmque ſit, accipe eum. Te jam voco, Epicure. Quis hunc emet? eſt riſoris illius diſcipulus, item illius ebrii, quos paulò antè proclamabamus. Unius autem rei cognitione vincit

ipſos,

ipsos, quatenus magis est impius. Cæterùm suavis est, & gulæ amans. MERCAT. Quo pretio venditur? MERC. Duabus minis. MERCAT. Accipe. Verùm ut quoddam *prætereà* sciam, quibus delectatur eduliis? MERC. Dulcia edit, & mellita; maximè verò ficus. MERCAT. Bene se res habet: emam enim ipsi Caricarum massas. JUP. Alium accerse: illum videlicet ad cutem detonsum, severóque vultu, Stoicum. MERC. Rectè dicis: videtur enim magna multitudo, quæ ad forum accurrit, illum expectare. Ipsam virtutem vendo, vitam perfectissimam. Quis vult omnia scire solus? MERCAT. Quomodo hoc dicis? MERC. Quod solus hic sapiens est, solus pulcher, solus justus, fortis, rex, rhetor, dives, legislator, & alia quotquot sunt. MERCAT. Itaque, ô bone, solus etiam coquus est, & coriarius, & faber, & similia. MERC. Sic videtur. MERCAT. Accede, ô bone, & dic mihi tuo emptori qualisnam sis? ac primùm annon doleas te vendi & servum esse? CHRY. Nequaquam: neque enim in nobis hæc sunt: quæcunque verò in nobis non sunt, ista indifferentia esse solent. MERC. Non intelligo quorsum hæc dicis. CHRY. Quid ais? non intelligis quòd horum quædam sunt prælata, quædam e contra rejecta? MERCAT. Ne nunc quidem intelligo. CHRY. Meritò quidem: neque enim assuetus es vocabulis nostris: neque imaginationem habes quæ facilè apprehendit. Peritus verò qui dialecticam penitus contemplatus est, non hæc tantùm novit; verùm etiam qualiter, & quantum accidens & præter accidens inter se differant. MERCAT.

Per

Per philosophiam quæso, ne invideas etiam hoc dicere, quidnam sit accidens, & præter accidens: nescio enim quomodo vocum istarum numero perculsus sum. CHRY. Imo ego perlibenter tibi id dixero: siquis claudus existat, illisóque pede claudo ad lapidem ex inopinato vulnus acceperit, is certè accidens habuit claudicationem, vulnus autem præter accidens accepit. MERCAT. O argutiam! præterea verò quidnam potissimùm scire te profiteris? CHRY. Retia sermonum, quibus implico, & obstringo, denique tacere cogo eos qui mecum conversantur, planè capistrum illis obducens. Isti verò tantæ *orationis* vi nomen est, Syllogismus celeberrimus. MERCAT. Hercle fortem & inexpugnabilem syllogismum dicis. CHRY. Vide ergo, estne tibi puer? MERCAT. Quidni? CHRY. Si crocodilus hunc ad flumen errantem nactus rapuerit, postea verò se redditurum polliceatur, hâc lege ut verum dicas, quod de pueri redditione decretum est: quid illum decrevisse dices? MERCAT. Quæstionem rogas, ad quam respondere difficile est: dubito enim utrùm dicendo *puerum* recipiam. Sed tu quæso per Jovem, respondens, incolumem puerum mihi serva, ne priùs ipsum devoret. CHRY. Bono sis animo: etenim alia magis mira te docebo. MERCAT. Quænam sunt illa? CHRY. Istum sermonem metentem, & dominantem, præterea eam, quæ est supra omnes, Electram, & opertum illum. MERC. Quis ille opertus sermo aut quæ Electra est quam dicis? CHRY. Electram illam dico valdè celebrem, Agamemnonis

nonis filiam, quæ eadem novit ſimul & non novit. Aſtante enim Oreſte illi adhuc incógnito, novit quidem Oreſtem ſuum eſſe fratrem, hunc verò Oreſtem eſſe ignoravit. Rurſus verò opertum illum, ac planè mirabilem ſermonem audies. Reſponde mihi: nôſtine tuum patrem? MERC. Maximè. CHRY. Quid igitur? ſi prope te ſtatuerem quempiam opertum, atque interrogarem: nôſtine hunc? quid diceres? MERC. Scilicet, me non nôſſe. CHRY. Atqui hic tuus erat pater. Itaque ſi iſtum non nôſti, palam eſt te patrem tuum non nôſſe. MERCAT. Nequaquam: ſed ſi ipſum detexeris, verum novero. Sed quiſnam tuæ ſapientiæ eſt finis? aut quid facturus es, ſi ad virtutis faſtigium perveneris? CHRY. In his, quæ naturâ prima ſunt diu verſabor; dico divitias, ſanitatem, & ſimilia. Sed priùs oportet *te* multos labores impendere, libris exiguis literis deſcriptis oculos admovendo, interpretationes congerendo, teque ſolœciſmis atque abſurdis vocibus implendo. In ſummâ, te ſapientem fieri fas non eſt, niſi ter ex ordine helleborum biberis. MERCAT. Egregia ſunt iſta tua, & viro admodum digna. Verum Gniphona & fœneratorem eſſe, (hoc enim tibi ineſſe video) num dicemus eſſe viri, qui helleborum biberit, & juſtam virtutis magnitudinem attigerit? CHRY. Maximè: ſolum enim ſapientem fœnus exercere decet. Quandoquidem enim illius proprium eſt ſyllogiſmis concludere, fœnerari autem & uſuras computare, atque ſyllogiſmis concludere, parum differre videntur, hoc etiam, ut & illud, ſoli

ſtudioſo

ſtudioſo competit: nec illum ſimpliciter fœnus, quemadmodum alii ſolent, accipere decet, verùm etiam alterius quoque fœnoris fœnus. Num ignoras enim fœnus aliud eſſe primum, aliud ſecundum, velut quandam illius progeniem? vides autem quid ſyllogiſmus concludat; ſi primum fœnus acceperit, accipiet ſecundum: atqui primum accipiet, ergo & ſecundum. MERCAT. Num ergo & de mercede, quam pro ſapientiæ diſciplinâ a juvenibus accipis, ſimilia dicamus? & manifeſtum eſt ſolum ſtudioſum pro virtute mercedem accepturum eſſe? CHRY. Intelligis. Certè non meâ causâ, ſed dantis gratiâ accipio. Cum enim alius ſit effuſor, alius comprehenſor, me quidem ipſum, ut ſim comprehenſor, præparo, diſcipulum, verò, ut fiat effuſor. MERC. At tu contrarium dixiſti, juvenem eſſe comprehenſorem, te verò, qui ſolus dives es, effuſorem. CHRY. Heus tu ſcommate me perſtringis: ſed vide tu, ne te petam ſyllogiſmo, qui demonſtratione non egeat. MERCAT. Quid verò mali ex hoc telo *accidet?* CHRY. Dubitatio, & ſilentium mentíſque ſubverſio. Quod autem eſt maximum, ſi voluero, te celerrimè lapidem reddam. MERCAT. Quomodo lapidem *me reddes?* neque enim Perſeus, ô bone, mihi eſſe videris. CHRY. Hoc modo. Annon lapis eſt corpus? MERCAT. Certè. CHRY. Quid verò? nonne & animal corpus eſt? MERCAT. Maximè. CHRY. Tu verò, *nonne* es animal? MERCAT. Sic videtur. CHRY. Lapis igitur es, cùm ſis corpus. MERC. Nequaquam: ſed me per Jovem ſolve, & de novo fac hominem. CHRY.

Non

Non est factu difficile: quare rursus sis homo. Dic enim mihi, anne omne corpus animal est? MERCAT. Non. CHRY. An verò lapis, animal est? MERCAT. Non. CHRY. Tu verò corpusne es? MERCAT. Maximè. CHRY. Corpus autem cùm sis, animalne es? MERCAT. Maximè. CHRY. Ergo non es lapis, animal cùm sis. MERCAT. Euge! effeceras ut jam mea crura non aliter ac Niobes frigescerent & fixa essent: attamen te emam. Quantum pro ipso numerabo? MERC. Duodecim minas. MERCAT. Accipe. MERC. Solusne ipsum emisti? MERCAT. Non per Jovem: verùm illi omnes quos vides. MERC. Certè multi sunt, iique validis humeris, & metente sermone digni. JUP. Ne tempus teras: alium accerse. MERC. Te Peripateticum accerso, formosum, divitem. Agite, emite hunc prudentissimum, qui omnia omnino scit. MERCAT. Qualisnam ille est? MERC. Modestus, mitis, vitâ bene compositâ: quódque maximum est, duplex. MERCAT. Quid dicis? MERC. Alius quidem foris apparet, intus verò alius esse videtur: itaque si emas ipsum, memento internum hunc, externum illum appellare. MERCAT. Quid verò potissimùm novit? MERC. *Novit* triplicia esse bona, animæ scilicet, corporis, & rerum externarum. MERCAT. Humana sapit; sed quanti venditur? MERC. Viginti minis. MERCAT. Multum certè dicis. MERC. Nequaquam, ô beate: etenim pecuniam aliquam habere ipse videtur: itaque non possis quin emas. Præterea autem protinus ab eo disces, quamdiu vivat culex, &

quàm

quàm profundè mare a sole illustretur, & qualis sit ostrearum anima. MERCAT. Hercle quanta argutia! MERC. Quid si audias alia multa his acutiora, de semine, & generatione, déque embryonis in utero formatione? utque risibilis est homo, non risibilis autem asinus, neque ad ædificandum, neque ad navigandum habilis? MERCAT. Planè admiranda, & utilia præcepta narras: itaque viginti minis ipsum emam. MERC. Esto. Quis adhuc reliquus est? iste Scepticus: accede tu Pyrrhia, statim ut proclameris: multi jam effluunt, & in paucis erit venditio. Verùm tamen quis emet istum? MERCAT. Ego. Sed primùm dic mihi tu, quid nôsti? PHIL. Nihil. MERCAT. Quìd ita? PHIL. Quia nihil omnino mihi videtur existere. MERCAT. Nos verò nihilne sumus? PHIL. Neque hoc scio. MERCAT. Neque te existere *nôsti?* PHIL. Hoc multò etiam magis ignoro. MERCAT. O hæsitationem! verùm quid sibi volunt hæ stateræ? PHIL. Sermones in illis trutino, & ad æqualitatem redigo: postquam autem eos exquisitè similes, & æqualis esse ponderis videro, tunc quis horum verior sit, ignoro. MERCAT. Ex aliis autem rebus, quid compositè facere soles? PHIL. Omnia facio, præterquam quòd fugitivum non persequor. MERCAT. Quare hoc tibi est impossibile? PHIL. Quia, ô bone, non comprehendo. MERCAT. Rectè, tardus enim & piger esse videris. Verùm quis tibi considerationis est finis? PHIL. Ignorantia: & nihil videre, neque audire. MERC. Ergo te surdum simul & cæcum dicis. PHIL. Imò

Imò judicio etiam & ſenſu careo: in ſummâ, nihil a verme diſcrepo. MERCAT. Propterea emendus es. Quanti illum valere æquum eſt ut dicas? MERC. Atticâ minâ. MERCAT. Accipe. Heus tu quid dicis, téne emi? PHIL. Incertum eſt. MERCAT. Nequaquam: emi enim, & pecuniam numeravi. PHIL. Hâc de re aſſenſionem retineo, & eam conſidero. MERCAT. Atqui ſequere me ut famulum decet. PHIL. Quis ſcit num vera dicas? MERCAT. Præco, mina, & qui adſunt. PHIL. An aliqui etiam nobiſcum ſunt? MERCAT. At ego te jam conjectum in piſtrinum, adducam ut credas me tuum eſſe herum miſeriore argumentandi modo. PHIL. Hâc de re aſſenſionem etiam retineo. MERCAT. Sed per Jovem jam oſtendi. MERC. Tu quidem deſine obniti, & eum, qui te emit, ſequere. Vos autem cras advocabimus. Etenim idiotas, & fabriles, viléſque vitas proclamaturi ſumus.

LUCIANI SOMNIUM, SIVE GALLUS.

MICYLLUS.

AT te, ſceleſtiſſime Galle, cùm ſis adeò invidus, & vocem tam acutam habeas, ipſe perdat Jupiter, qui quidem opibus affluentem me ac dulciſſimo in ſomnio verſantem, & admirabili felicitate fruentem, penetrabile quiddam, & clamoſum reſonans expergefeceris; adeò ut ne noctu quidem effugere liceat paupertatem vel te ipſo longè nequiorem: atqui ſi conjectandum eſt tum e ſilentio, quod etiamdum

dum ingens eſt, tum e frigore nondum, ut aſſolet matutino tempore, me mordente, (nam hoc mihi certiſſimum eſt ſignum adventantis diei) nondum media eſt nox; ſed iſte pervigil, perinde quaſi vellus illud aureum ſervet, ab ipſâ protinùs veſperâ vociferari cœpit, verùm haudquaquam impune; ſiquidem mox pœnas de te ſumam, & fuſte comminuam, ſi diluxerit modò, nam nunc negotium mihi faceſſeres in tenebris ſubſiliendo. Gal. Here Micylle, arbitrabar me tibi rem gratam eſſe facturam, ſi quoad poſſem altâ nocte lucem antevertiſſem, quo poſſes ante diluculum ſurgens multum operis conficere; ſi etenim, priuſquàm Sol exoriatur, vel unicam feceris crepidam, eatenus progreſſus fueris in parando victu: quod ſi tibi magis libet dormire, ego quidem quieſcam, & longè magis quàm piſces mutus ero. Cæterùm tute videto, ne per ſomnium dives factus, eſurias experrectus. Micyl. O prodigiorum averſor Jupiter! ô malorum depulſor Hercules! quid hoc mali eſt? vocem humanam ſonuit Gallus. Gal. Itane verò hoc prodigium tibi eſſe videtur, me eâdem, quâ vos, linguâ loqui? Micyl. Quomodo enim hoc non ſit prodigium? ſed avertite, Dii, malum nobis. Gal. At tu mihi videris admodum illiteratus eſſe, Micylle, nec Homeri poemata legiſſe, in quibus Xanthus Achillis equus, cum hinnitui longum vale dixiſſet, medio in prælio conſtitit diſſerens, & verſus integros recitans, non ut ego nunc proſâ oratione loquens; quin etiam vaticinabatur ille, déque futuris edebat oracula, neque quicquam

quam prodigiosum facere videbatur, neque is qui tum audiebat, malorum aversorem, uti tu, implorabat, averruncandum existimans, quod audierat. At quid fecisses, si tibi navis Argoæ carina fuisset elocuta, uti olim in Dodonæâ sylvâ phagus per se loquens oraculum edidit? aut si tergora serpere vidisses, si carnes boum mugire semiassas coctasque verubus transfixas? ego verò quum Mercurii sim assessor, loquacissimi, deorumque omnium facundissimi, præterea contubernalis vobis & convictor, humanam vocem nullo planè negotio ediscere debui. Quòd si mihi taciturnum te pollicearis, veriorem tibi causam aperire non gravabor, cur eâdem, quâ vos, utar voce, & unde mihi liceat hoc modo loqui. MICYL. Sed nunquid somnium hoc est, Gallum mecum sic sermocinari? sed dicito per Mercurium, ô præclare, quænam alia sit tibi causa cur loquaris. Ut taceam, neque cuiquam proferam, quid attinet te sollicitum esse? quis enim fidem mihi sit habiturus, si cui narrem, me Gallum hæc loquentem audivisse? GAL. Ausculta igitur, nam sermonem tibi quàm maximè incredibilem, sat scio, dicturus sum, Micylle; hic enim, qui nunc tibi Gallus videor, non ita pridem homo fui. MICYL. Profectò & olim istiusmodi quiddam de vobis audivi, adolescentulum quendam Gallum fuisse, Marti adamatum, atque hunc Deo compotâsse, & comessatum fuisse, & rerum amatoriarum conscium fuisse: cùm itaque Venerem adiret Mars cum eâ cubiturus, hunc quoque Gallum unâ se-

deferat optionem, utrùm te iſta narrantem audire malim, an feliciſſimum illud ſomnium, quod paulò antè vidi, denuo videre, haud ſciam utrum eligerem: uſque adeò cognata germanaque puto eſſe tua cum ſuaviſſimis illis viſis, & ex æquo vos æſtimo, te pariter ac pretioſum illud inſomnium. GAL. Etiamnum tu ſomnium illud, quod dudum tibi viſum eſt, in animum revocas, & vana quædam conſervas ſimulachra, &, uti loquuntur Poetæ, inanem quandam felicitatem memoriâ conſectaris? MICYL. Imò nunquam, mihi crede, Galle, illius viſi obliviſcar: tantum mellis ſomnium aufugiens in oculis mihi reliquit, ut præ illo vix queam palpebras attollere, rurſus in ſomnum coëuntes: qualem itaque voluptatem movent pennæ in auribus verſatæ, talem titillationem mihi præbent ea, quæ vidi. GAL. Mirum quendam, mehercule, mihi narras amorem inſomnii, ſiquidem alatum cùm ſit (ut aiunt) ſomnumque habeat volationis terminum, jam ſepta tranſilit, & in apertis oculis immorans, mellitum adeò evidenſque apparet. Quare pervelim audire cujuſmodi ſit iſtud, quod te ſupra modum delectat. MICYL. Paratus ſum dicere; nam dulce eſt hoc ipſum meminiſſe, & commemorare de illo quippiam. Tu verò, Pythagora, quando narrabis tuas transformationes? GAL. Ubi tu, Micylle, deſieris ſomniare, melque illud ab oculis abſterſeris: interim prior dicito uti intelligam, utrùm per portam eburneam an per corneam tibi ſomnium advolârit. MICYL. Per neutram harum, ô Pythagoras.

GAL.

GAL. Atqui duas has tantum commemorat Homerus. MICYL. Valere finas nugatorem illum poetam, qui nihil de somniis intellexit, pauperum fortasse somnia per istas commeant portas, qualia videbat ille, neque id admodum perspicuè, quippe captus oculis: mihi verò per aureas quasdam portas dulcissimum hoc advenit *somnium*, & ipsum aureum, & aureis undique circumamictum, & auri plurimum *secum* adducens. GAL. Desine, optime Mida, de auro fabulari, nam proculdubiò ex illius voto istud tibi accidit insomnium, & totas auri fodinas mihi videris adduxisse. MICYL. Multum, ô Pythagora, aurum vidi, multum quam putas pulchrum! quo fulgore coruscans! quid tandem Pindarus in illius laudem dicit? nam in memoriam redige, si quidem meministi, cùm aquam præstantissimam dicens, postea aurum admiratur, idque jur , statim ab initio carminis omnium bellissimi. GAL. Num illud quæris? Aqua quidem est optima; aurum verò, velut ignis ardens, noctu emicat eximiè superbarum divitiarum præstantissimum. MICYL. Per Jovem, isthuc ipsum. Pindarus enim aurum perinde laudat, ac si somnium meum vidisset. Sed ut tandem cognoscas quale fuerit, ausculta jam, sapientissime Galle: nôsti heri me domo non edisse: siquidem Eucrates dives ille fortè mihi in foro obviam factus, lotum me in tempore ad cœnam venire jusserat. GAL. Hoc probè scio, qui totum esuriebam diem, donec profundâ tandem vesperâ domum reversus, subuvidus vinoque madens, quinque illas fabas

 proferens

proferens non admodum opiparam cœnam Gallo, qui quondam fuerit athleta, quique olim in Olympicis ludis non sine gloriâ decertârit. MICYL. Aſt ubi reverſus a cœnâ fabas tibi objeciſſem, obdormii protinus: tum mihi, juxta Homerum, ambroſiâ ſub nocte, divinum verè ſomnium aſſiſtens. GAL. Sed prius quæ tibi apud Eucratem acciderint, Micylle, narra, & cujuſmodi fuerit cœna, quæque in convivio acta ſunt omnia: nihil enim prohibet, quò minùs denuo cœnes, velut ſomnium quoddam ejus cœnæ exhibendo, & quæ tum ederis, rurſum commemoratione quaſi ruminando. MICYL. Credebam moleſtum futurum me, ſi hæc quoque retuliſſem; verùm quoniam tu deſideras, id quoque narrabo; cùm nunquam antehac in vitâ cœnâſſem apud ullum divitem, ô Pythagora, herì bonâ quâpiam fortunâ in Eucratem incidi; atque ego quidem ſimulatque illum dominum *vocando* ſalutâſſem, uti conſueveram, ſubducebam me, ne pudori illi eſſem, ſi vili in veſte fuiſſem aſſectatus: at ille, Micylle, inquit, hodiè natalitia filiæ celebro, plurimoſque ad convivium amicos invitavi: verùm quoniam aiunt quendam ex his incommodâ eſſe valetudine, neque poſſe ad convivium noſtrum accedere, tu ejus loco venito lotus, niſi ipſe fortè, qui vocatus eſt, ſemet adfuturum renunciaverit; nam nunc quidem ambigit. Hoc ubi audiſſem, adorato divite diſcedebam, omnes obſecrans Deos, ut epialum, aut laterum dolorem, aut podagram immitterent valetudinario illi, cujus ego ſellæ occupator,

tor, & vicarius in cœnâ succedaneusque eram vocatus; idque spatii, quod usque ad balnei tempus intercessit, longissimum sæculum esse judicabam, subinde respiciens quot pedum esset solarii umbra, & quando me lavisse oporteret. Hîc ubi tempus advenisset, ociùs me corripio, atque abeo nitidè admodùm cultus, sic obverso palliolo, ut in puriore parte amictus videretur: offendo autem ad fores & alios complures, in quibus etiam illum, sub cujus titulo me cœnare oportebat, qui ægrotare dicebatur, in sellâ gestatoriâ a quatuor viris portatum: & indicabat quidem malè se habere; nam ex alto gemebat, tussiebatque, & exscreabat quoddam ex abdito, quodque screatu vix attingi posset, totus pallidus ac tumens, annos natus circiter sexaginta: ferebatur autem philosophus quispiam esse, ex his, qui apud adolescentulos nugas deblaterant; at barba mirè erat hircina, supra quam credi posset tonsoris egens. Porrò increpante Archibio medico, quòd ita affectus advenisset, non decet, inquit, officio deesse præsertim hominem philosophum, etiamsi obstent sexcenti morbi. Nam se a nobis contemni putaret Eucrates: haudquaquam, inquam ego, imò collaudabit te, si domi potiùs apud te emori velis, quàm in convivio animam unà cum phlegmate exscreans. Atque ille quidem præ arrogantiâ dissimulabat sese dicterium audîsse. Haud multo post accessit & Eucrates lotus, conspectoque Thesmopolide (nam id erat philosopho nomen) præceptor, inquit, probè quidem fecisti, quòd ipse ad nos

veneris; tametsi nihilo deterius tibi fuerat futurum, siquidem etiam absenti omnia ordine missa fuissent. Dumque hæc dicebat, introgreditur manus illi porrigens famulis etiam innitenti. Ego igitur jam abire parabam; verùm ille conversus, ubi diu secum hæsitasset, postea quam me tristem admodum videret, ades, inquit, tu quoque, Micylle, ac nobiscum cœna; nam filium in mulierum conclavi unà cum matre convivium agere jubebo, quo tibi sit locus. Ingrediebar itaque, quum parùm abfuisset, quin essem velut lupus *ad prædam* frustra hians; pudefactus, quòd Eucratis filiolum e convivio viderer expulisse. Ast ubi jam esset discumbendi tempus, primùm tollentes Thesmopolim composuerunt, sanè non sine negotio, quinque utique proceri juvenes, cervicalia illi supponentes undequaque, quo nimirum in eodem habitu permanere, & diu persistere posset. Deinde cùm nemo sustineret illi accumbere, me adductum reclinant, ut eodem in lecto essemus: deinceps cœnabamus, ô Pythagora, opiparam quandam, & variam cœnam, multo in auro, multoque item argento. Pocula erant aurea, ministri formosi, cantores, scurræ; in summâ, jucundissima erat conversatio. Cæterùm unum molestiâ me afficiebat non mediocri, Thesmopolis obturbans, & virtutem nescio quam mihi commemorans, docensque duas negationes unam affirmationem efficere, & si dies sit, noctem non esse; nonnunquam & cornua mihi dictitabat esse, atque id genus multa continuato sermone apud me,

cui nihil opus erat, philosophabatur, & voluptatem rescindebat, quum non sineret me exaudire eos, qui citharâ & voce canebant. Hæc mihi, Galle, cœna. GAL. Non admodum jucunda, ô Micylle, maximè quia cum illo deliro sene forte conjunctus eras. MICYL. Audi nunc & insomnium; putabam Eucratem ipsum, liberis orbum, nescio quomodo moribundum fuisse. Dehinc ubi me accersisset, ac testamentum condidisset, quo me hæredem omnium scripserat, paulum superstitem obiisse: me verò, cùm adiissem facultates, aurum argentùmque ingentibus quibusdam scaphis exhaurire, perpetuò scaturiens, & affatim affluens: cætera verò, vestes, mensas, pocula, ministros, omnia mea, ut par erat, esse. Postea bigis albis vectabar resupinus, cunctis, qui intuebantur, conspiciendus, & invidiosus. Accurrebant permulti, ac circumequitabant, plures sequebantur. Ego interim illius indutus vestitum, gravesque annulos gerens, circiter sedecim, digitis insertos, epulum quoddam splendidum jubebam adornari, quo amicos exciperem. Illi autem, ut par erat in somnio *credere*, aderant; & jam epulæ erant comportatæ; & convivium instruebatur. In his cùm versarer, & aureis phialis omnibus propinarem, qui aderant, amicis, cùm jam inferrentur bellaria, intempestivo tuo clamore nobis convivium perturbâsti, mensasque subvertisti, ac divitias illas ita dissipâsti, ut ad venti arbitrium agitatas auferri feceris. Num tibi videor stomachatus in te injuriâ? nam somnium id, quod mihi accidit,

vel

vel tres noctes perpetuas libenter viderem. GAL. Adeóne es auri cupidus, & opum avidus, Micylle? idque solum omni modo admiraris & in multo auro possidendo sitam esse felicitatem judicas? MICYL. Non ego solus, ô Pythagora, ita *judico*: sed & ipse tum, cùm Euphorbus esses, auro atque argento comis intexto prodibas pugnaturus cum Achivis, idque in bello, ubi ferrum, quàm aurum gestare satius erat: Tu, *inquam*, id temporis voluisti auro revinctos cincinnos habens in periculum descendere; atque ob eam (opinor) caussam Homerus comas tuas Gratiis similes dixit, quòd auro argentoque revincirentur; longè enim nimirum meliores, atque amabiliores videbantur, quòd essent auro religatæ, unáque cum eo relucerent. Quanquam, Auricome, moderatè te gerebas, quod cum Panthi esses filius, aurum in pretio habuisti: nam & ipse deorum omnium hominumque pater, ille Saturno Rheâque progenitus, cùm Argolicam illam puellam adamaret, nihilque inveniret amabilius in quod se transformaret, neque quo Acrisii custodias posset corrumpere, audisti ut aurum factus sit, atque *ita* per tegulas illapsus potitus est eâ, quam deperiebat. Quid igitur præterea tibi commemorem, quàm multos usus præbeat aurum? & ut eos, quibus adfuerit, formosos & sapientes, & potentes reddat, decus & gloriam illis concilians? utque nonnunquam ex obscuris & ingloriis claros, & celebres repentè efficiat? nam nôsti vicinum mihi, & ejusdem artificii Simonem, qui paucis antè diebus apud

me

me cœnavit, cùm injectis duobus farciminis frustis legumen Saturnalibus coquerem.' GAL. Novi simum illum & brevem, qui fictilem ollulam, quæ nobis erat unica, suffuratus, peractâ cœnâ, abiit, sub alâ gestans: nam ipse vidi, Micylle. MICYL. Atqui cum eam sustulerit, tam multos ille Deos postea jurabat. Sed non cur prodebas, ac vociferabare tum, ô Galle, cùm nos furto spoliari conspiceres? GAL. Coccyzabam, quod solum poteram id temporis. Verùm quid Simon ille? nam videbare de eo aliquid dicturus. MICYL. Ei consobrinus erat, vir supra modum dives, nomine Drimylus; is, quoad vivebat, ne obolum quidem donaverat Simoni: nam quî *daret*, cum ne ipse quidem pecunias attingeret? postquam verò pridie mortuus est, omnia illa secundùm leges *ad Simonem descenderunt*; & nunc Simon ille, qui pannis sordidis indutus erat, qui catinum lingebat, hilaris equo vehitur, purpureâ & coccineâ veste amictus, famulosque & currus, & aurea pocula, mensasque pedibus innixas eburneis possidet, ab omnibus adoratur, jamque nos ne aspicit quidem. Etenim nuper cùm illum procedentem conspexissem, salve, inquam, Simon; at ille indignè ferens, edicite, inquit, mendico isti, ne nomen meum diminuat; neque enim Simon, sed Simonides appellor: porrò (quod est *omnium* maximum) mulieres etiam illius amore capiuntur, atque is quidem fastidiosè se gerit erga illos, despicitque, & alias quidem admittit, comemque se *iis* præbet, aliæ verò, quæ negliguntur, necem conscituras sibi minantur.

minantur. Vides quantas commoditates pariat aurum; quandoquidem eos, qui sunt deformissimi, transfigurat, & amabiles reddit, non secus ac cestus ille poëticus. Audis insuper & Poetas dicentes, ô Aurum, res quam comiter excipimus, pulcherrima possessio. Item, Aurum est quod mortalibus imperat. Sed quid interim risisti, Galle? GAL. Quoniam tu quoque per inscitiam, Micylle, simili modo falleris opinione de divitibus, quo vulgus: verùm (crede mihi) longè ærumnosiorem vitam, quàm vos, agunt: hæc autem tibi loquor, qui ipse & pauper, & dives aliquando fuerim, atque omne vitæ genus sim expertus: porrò paulò post ipse quoque hæc omnia cognosces. MICYL. Per Jovem tempestivum jam est ut tu referas, quomodo transformatus sis, & quid in unoquoque vitæ genere perspexeris. GAL. Ausculta, hoc tantùm præmonitus me neminem feliciorem in vitâ, quàm tu sis, unquam vidisse. MICYL. Quàm ego sim, ô Galle? hanc felicitatem tibi ipsi imprecor: nam me te increpare impellis. Verùm age, narra exordiens ab Euphorbo, quo pacto fueris in Pythagoram transformatus; deinceps ordine usque ad Gallum; consentaneum enim est te varias res tum vidisse, tum tulisse in tam diversis vitæ formis. GAL. Quemadmodum initio ab Apolline profecta anima in terram devolârit, & corpus humanum subierit, ut *illic* pœnam quandam dependeret, longum dictu foret, præterea neque mihi referre fas est, neque tibi ejusmodi audire. Verum ubi Euphorbus

bus factus essem—MICYL. Sed ego, priusquam essem is, qui nunc sum, ô præclare, quisnam eram? hoc mihi priùs dicito, nunquid & ego versus fuerim itidem ut tu. GAL. Maximè. MICYL. Quis igitur eram? si quo modo potes dicere: pervelim enim isthuc cognoscere. GAL. Tu formica eras Indica ex earum genere, quæ aurum effodiunt. MICYL. Itane neglexi infelix exiguam *partem* ramentorum in vitam importare, ex illo pro viatico sumptam? sed age, quid posthæc futurus sim dicito, nam te scire consentaneum est; siquid enim bonæ sit rei, jam nunc surgens me suspendam ab istâ perticâ, in quâ nunc stas. GAL. Isthuc profectò nullâ ratione possis cognoscere. Cæterùm cùm Euphorbus essem, (nam ad illa redeo) in Trojâ pugnabam, atque a Menelao necatus in Pythagoram postea veni; verùm eousque sine tecto perduravi, donec Mnesarchus mihi domum ædificâsset. MICYL. Num quæso absque cibo potuque? GAL. Maximè; nihil enim istis rebus opus, nisi corpori duntaxat. MICYL. Illa igitur, quæ ad Trojam gesta sunt, mihi priùs dicito: num erant talia, qualia Homerus fuisse dixit? GAL. Unde is resciviſſet, Micylle, qui quidem, dum ista gerebantur, camelus erat in bactris? ego autem tibi dico nihil tam supra modum naturæ tunc temporis fuisse; neque Ajacem usque adeò magnum, neque Helenam adeò formosam, quemadmodum arbitrantur homines: siquidem vidi candidâ quandam & procerâ cervice, ut hanc Cygno prognatam esse *omnes* conjicerent: cæterùm anum omnino,

nino, & ætate æqualem propemodum Hecubæ. Hanc Theſeus primùm raptam in Aphidnis poſſedit, qui Herculis ætate vixit: porro Hercules priùs Trojam ceperat patrum noſtrorum temporibus, qui per id temporis maximè florebant: nam hæc mihi Panthus narravit, ſe, cùm eſſet admodum adoleſcens, vidiſſe Herculem dicens. Miycl. Quid autem? num Achilles talis erat, nempè quâvis in re præſtantiſſimus? an et hoc eſt alia fabula? Gal. Cum illo quidem congreſſus non ſum, Micylle, neque res, quæ apud Achivos geſtæ ſunt, ita accuratè poſſum referre. Quî enim ſcire potui, cùm hoſtis eſſem? certè Patroclum illius amicum haud ita magno negotio peremi haſtâ tranſverberatum. Micyl. Deinde te Menelaus multo minore negotio. Verùm iſtis de rebus ſatis. Nunc res Pythagoricas refer. Gal. In ſummâ, Micylle, ſophiſta eram, (oportet enim utique verum fateri) alioqui non imperitus, neque inexercitatus in præſtantiſſimis diſciplinis. Profectus ſum autem in Ægyptum, quo cum prophetis congrederer, propter ſapientiam *conſequendam*. Ibi adyta ingreſſus Ori & Iſidis libros perdidici. Et cùm rurſus in Italiam vela feciſſem, Græcos iis in locis ita inſtitui, ut me pro Deo ducerent. Micyl. Audieram equidem iſthæc, præterea quemadmodum creditus fueris poſt mortem revixiſſe, utque aureum femur illis aliquando oſtenderis. Verùm illud mihi dicito, quid tibi venit in mentem, ut legem ſtatueres, uti neque carnibus, neque fabis veſcerentur *homines?* Gal. Ne perconteris iſta, Micylle.

Micyl.

MICYL. Quamobrem, ô Galle? GAL. Verum ſcilicet tibi de his rebus fateri erubeſco. MICYL. Atqui non par eſt ut graveris aliquid dicere viro contubernali & amico; nam herum poſthàc abſit ut dixerim. GAL. Nihil ſani, aut præclari erat. Verùm animadvertebam me, ſi conſueta modò atque eadem, quæ vulgo traduntur, præcepiſſem, mortales in admirationem minimè pertracturum; ſed quò magis peregrina proponerem, fore judicavi ut eo magis novus viderer illis, *ideòque admirandus*. Proinde nova comminiſci decrevi, &, eorum cauſa ut eſſet arcana, effeci, ut dum alii alias conjectarent, omnes obſtupeſcerent, quemadmodum in obſcuris oraculis ſolet uſu venire. MICYL. Viden'? me quoque viciſſim irrides non minùs atque Crotoniatas, ac Metaponticos, & Tarentinos, cæteroſque, qui te muti ſequuntur, & adorant veſtigia, quæ tu calcata reliquiſti. Verùm ubi Pythagoram exueras, quem poſt eum induiſti? GAL. Aſpaſiam, Mileſiam illam meretricem. MICYL. Papæ! quid dicis? num inter alia mulier quoque fuit Pythagoras? itane fuit aliquando tempus, quo tu, Galle generoſiſſime, ova pariebas, & cum Pericle rem habebas, Aſpaſia cùm eſſes? atque ex illo gravida facta es? præterea lanam carpebas, tramamque deducebas, & meretricum in morem te componebas? GAL. Iſta quidem omnia feci: tametſi non ego ſolus, verùm & ante me tum Tireſias, tum Elati proles Cœneus: proinde quicquid in me convitii dixeris, tantundem & in illos dixeris. MICYL. Age igitur utra tibi vita erat ſuavior,

cùm

cùm vir esses; an cùm Pericles tecum haberet consuetudinem? GAL. Vides cujusmodi sit istud quod exquiris? responsum scilicet, quod neque Tiresiæ expediebat. MICYL. Atqui si minùs fateare, tamen istud Euripides satìs explicuit, cùm ait se malle ter sub clypeo consistere, quàm parere semel. GAL. Imò præmoneo te paulò pòst puerperam fore, siquidem & tu mulier es olim futurus, idque sæpius in multo temporum circuitu. MICYL. Non tu pendebis, ô Galle, qui omnes mortales Milesios aut Samios esse ducas? nam aiunt te etiam tum, cùm Pythagoras esses, venustâ formâ decorum, sæpius Aspasiam fuisse tyranno. Verùm age post Aspasiam, in quem virum aut mulierem denuò renatus es? GAL. In Cratem Cynicum. MICYL. O Castor, & ô Pollux! quam dissimile! ex scorto philosophus? GAL. Deinde rex, deinde pauper, paulò pòst satrapa, dehinc equus, graculus, rana, aliaque innumerabilia, perlongum autem fuerit singula recensere; postremò Gallus, atque id sæpius, nam hoc vitæ genere sum delectatus. Quinetiam servivi apud multos alios, reges, pauperes, divitesque; postremò nunc tecum vivo, rideoque quotidie, cùm video te quiritantem & lugentem propter paupertatem, ac divitum admirantem fortunas, præ ignorantiâ malorum, quæ illis adsunt. Nam si curas nôris, quibus illi distringuntur, teipsum profectò riseris, qui antea credideris eum, qui sit opulentus, semper omnium esse felicissimum. MICYL. Ergo, Pythagora, aut quocunque alio nomine gaudes appellari, ne confundam orationem

tionem alias alio nomine compellando. GAL. Nihil intererit ſive Euphorbum, ſive Pythagoram, ſive vocâris Aſpaſiam, ſive Cratem; quandoquidem iſta omnia ſum; veruntamen rectiùs feceris ſi (quod in præſentiâ eſſe videor) Gallum me voces, ne contemnas avem quaſi vilis eſſe videretur, præſertim cum tam multas in ſe contineat animas. MICYL. Ergo, Galle, quandoquidem omnia penè vivendi genera jam expertus es, atque omnia nôſti, velim mihi dilucidè narres ſeorſim, quæ ſit divitum, quæ pauperum vitæ conditio, ut cognoſcam, veréne iſthuc affirmes, me divitibus eſſe feliciorem. GAL. En hunc ad modum perpende, Micylle; te quidem non magnoperè tangit cura belli, ſiquando rumor ſit adventare hoſtes, neque ſollicitus es, ne in agros incurſantes populentur, neve hortum proculcent, aut vineas vaſtent; ſed ſimulatque tubam audieris, ſi tamen audieris, de teipſo uno circumſpectas, quo deflectus ſervari queas, ac diſcrimen effugere. Contrà illi tum de ſe ſolliciti ſunt, tum animo diſcruciantur, cum de mœnibus quicquid opum poſſidebant in agris, id omne rapi ferrique conſpiciunt. Et ſi tributum ſit ſolvendum, *illi* ſoli accerſuntur; ſive in prælium exeundum, periclitantur, aut peditum turmis, aut equitum alis præfecti. Tu interim vimineum gerens clypeum expeditus, ac levis ad ſaluti conſulendum, paratus victoriale convivium agere, ſiquando victoriâ potitus imperator ſacra fecerit. Rurſum pacis tempore tu quidem, cum de plebe ſis,

 ingreſſus

ingressus in concionem, tyrannidem in divites obtines: illi verò trepidant, pavitantque, ac largitionibus te placant: etenim ut balnea, ludi, spectacula, aliaque omnia tibi abundè suppetant, illi operam dant. At tu censor, & acerbus judex, perindè quasi dominus ne alloquio quidem interdum dignaris illos; & si tibi videatur, ingentibus saxis in illos degrandinas, aut ipsorum bona proscribis. Ipse neque calumniatorem metuis, neque latronem, ne tollat aurum, vel ædium conscenso fastigio, vel pariete perfosso: & nihil habes negotii vel in supputandis, vel repetendis pecuniis, vel cum sceleratis dispensatoribus confligendo, vel istiusmodi curarum participando. Verùm simulatque unam crepidam perfeceris, mercedemque retuleris septem obolos, serâ vesperâ surgis, &, si libuerit, lavaris: tum empto saperdâ quopiam, aut mœnidibus, aut paucis ceparum capitulis, temet ipse oblectas, canens plerumque, optimâque cum Paupertate philosophans; adeò ut eas ob res salubri sis valentique corpore, & contra frigus obdurueris. Nam labores, qui te exacuunt, certatorem haudquaquam contemnendum reddunt adversum eas res, quæ compluribus inexpugnabiles esse videntur. Atque hinc fit ut nullus ex gravioribus illis morbis insidias tibi moliatur; quod siquando levis ceperit febricula, ad exiguum tempus illi obsecutus, & inediâ excutiens, protinus exilis: illa verò fugit illicò, quippe metuens te, quem videat frigidâ *aquâ* temet ingurgitantem, & medicorum ambagibus longum plorare denunciantem.

ciantem. At illi ex adverſo propter intemperantiam quid tandem mali non habent infelices? podagras, tabes, pulmonum inflammationes, aquas intercutes: nam hæc *omnia* à ſumptuoſis illis conviviis naſcuntur. Proinde nonnulli ex his, dum Icari in morem ſe nimis attollunt, & ſoli ſe propius admovent, neſcii pennas ſibi cera eſſe adglutinatas, ingentem nonnunquam ſtrepitum edunt, prono capite in mare delapſi. Cæterùm qui, Dædali inſtar, non admodum ſublimia, neque excelſa appetunt, verùm *humilia*, terræ*que* vicina, adeò ut cera nonnunquam ſalis aſpergine madeſcat, ii tutò plerumque tranſvolant. Micyl. Moderatos iſtos & cordatos narras. Gal. Verùm aliorum, Micylle, naufragia fœdiſſima conſpicias, nempe ubi Crœſus revulſis alis riſum exhibet Perſis conſcenſo rogo, aut Dionyſius tyrannide exutus Corinthi literas docet, poſt tantum imperium pueros ſyllabas connectere cogens. Micyl. Dic mihi, Galle, tu cum rex eſſes (nam ais te regem quoque fuiſſe) quale expertus es id vitæ genus? certè tum admodum felix eras, quandoquidem id, quod eſt bonorum omnium caput, poſſidebas. Gal. Ne mihi in memoriam regeras, ô Micylle; uſque adeò ſupra modum infelix tum eram. Quoad quidem res externas, quemadmodum dixiſti, planè fortunatus eſſe videbar; at intus innumerabilibus curis diſtringebar. Micyl. Quibus tandem curis? nam rem prorſus abſurdam, neque credibilem narras. Gal. Imperabam equidem regioni neutiquam exiguæ, Micylle, omnigenarum rerum feraci, cum inco-

incolarum multitudine, tum urbium pulchritudine cum primis admirandæ, præterea fluminibus navigabilibus irrigatæ, ac mari portuoso usæ. Adhæc exercitus ingens, bene instructus equitatus, satellitium haud exiguum, triremes, pecuniarum vis major quàm ut possit numerari, vasorum aureorum plurima copia, & reliquus imperii apparatus omnis, supra modum accumulatus. Cum itaque prodirem, plerique adorabant, Deum quempiam intueri se rati; aliique ex aliis concurrebant, quò me conspicerent: nonnulli conscensis tectis magni æstimabant, si plenè contemplari licuisset quadrigam, pallium, diadema, anteambulones, & eos qui sequebantur. Ego inter hæc mihi conscius, quàm multæ res me discruciarent, versarentque, illis quidem propter inscitiam ignoscebam, me autem miserebar, qui similis essem magnis illis Colossis, quos aut Phidias, aut Myron, aut Praxiteles fecit. Quorum quisque extrinsecus est Neptunus aut Jupiter, omni ex parte decorus, ex auro & ebore elaboratus, & aut fulmen, aut fulgur, aut tridentem dextrâ tenens. Cæterùm si immisso capite, quæ sunt intùs, inspicias, videbis vectes, paxillos, & clavos per universum transfixos, neque non stipites, & lutum, & cuneos, & picem, & multam id genus deformitatem intùs habitantem. Omitto dicere muscarum & murium araneorum copiam, qui nonnunquam in eis mansitant. Hujusmodi quædam res etiam regnum esse videtur. MICYL. Nondum explicuisti lutum, & clavos, & vectes imperii, quænam sint,

ſint, neque magnam illam deformitatem, quænam ſit. Nam unicè & cum admiratione ſpectari inter vectandum, tam multis imperare, ac numinis inſtar adorari, hactenus quidem cum Coloſſi exemplo quadrat: ſiquidem hoc quoque divinum quiddam eſt; nunc autem quæ ſunt intra Coloſſum exponito. GAL. Quid primum tibi referam, Micylle? utrùm metus, curas mordaces, ſuſpiciones, odium, quo regem perſequuntur ii, qui cum illo vivunt, inſidias, atque has ob res ſomnum rarum, eumque levem, ac plena tumultûs inſomnia, cogitationes perplexas, ſpes ſemper improbas; an otii penuriam, & occupationes, judicia, expeditiones, edicta, fœdera, conſultationes? quibus rebus fit, ut ne per ſomnium quidem aliquâ re ſuavi frui liceat; verùm ut omnibus de rebus ſolus diſpiciat neceſſe eſt, & mille negotia ſuſtineat;

Quippe nec Atriden Agamemnona dulcis habebat
Somnus, multa animo volventem.

Idque dum reliqui omnes Achivi ſterterent. Adde quòd Lydum illum diſcruciat filius mutus; Perſam verò Clearchus Cyro milites peregrinos conſcribens, atque alium Dion cum Syracuſanis nonnullis ad aurum communicans; alium Parmenion collaudatus: item Perdiccam Ptolemæus, Ptolemæum Seleucus. Quin illa quoque moleſtiam adferunt, amaſius non ſponte convivens, & concubina alio gaudens; tum ſi qui defectionem parare dicantur; aut duo quatuorve Satellites inter ſe ſuſurrantes. Porrò (quod eſt omnium graviſſimum) ami-

cissimi quique vel maximè suspecti sunt habendi, semperque sperandum magni aliquid mali ab illis proventurum; nam alius à filio veneno necatus est, ipse autem *filius* ab amasio; alium simile quoddam fortasse mortis genus eripuit. MICYL. Apagesis, atrocia sunt ista, quæ narras, Galle. Quare mihi tutius fuerit cerdonicæ operæ pronum incumbere, quàm ex aureâ phialâ propinatum poculum haurire, cicutâ & aconito temperatum. Nam mihi quidem hoc unum est periculi, ut si scalpellum aberret, deflectatque ab incisione rectâ, me intersecandum leviter *ex parte aliquâ* digiti cruentet. At isti, ut ais, letifera agunt convivia, idque innumeris in malis constituti; deinde ubi conciderint, persimiles esse videntur tragœdiarum histrionibus, quorum multos videre est, quoad Cecropes sunt, Sisyphi, aut Telephi, diademata gestantes, & enses eburneis scapulis *ornatos*, & comam vagam, & chlamydem auro intertextam. Quod siquis eorum (qualia multa accidunt) titubans mediâ in scenâ cadat, risum profectò movet spectatoribus, personâ unà cum ipso diademate contritâ; vero autem actoris capite cruentato, cruribusque maximâ ex parte renudatis: ut jam interioris amictus quàm miseri sint panni fiat perspicuum, ac cothurnorum, quos pedibus induxerat, appareat deformitas, utque pedis modo neutiquam respondent. Viden' ut me jam similitudines excogitare docueris, optime Galle? cæterùm tyrannis talis quædam res esse tibi visa est: verùm ubi equus esses, aut canis, aut piscis, aut rana, quomodo eam

vitæ

vitæ rationem ferebas? GAL. Prolixum excitas sermonem, & qui non sit præsentis temporis: cæterùm ut summatim dicam, nulla ex omnibus vitis mihi non visa est tranquillior quàm humana, naturalibus duntaxat cupiditatibus, & necessitatibus circumscripta. Siquidem publicanum equum, aut sycophantam ranam, aut sophistam graculum, aut cupedinarium culicem, aut cinædum gallum, atque id genus alia, quæ vos esse studetis, inter illos non videas. MICYL. Hæc, quæ dicis, Galle, fortasse vera sunt. Verùm non pudet me apud te fateri id quod mihi accidit: nondum possum cupiditatem illam dediscere, quam à puero habui, ut dives evadam. Quin nunc quoque somnium illud ob oculos versatur aurum ostentans. Potissimùm autem excrucior propter execrandum illum Simonem, qui tantas inter opes delicietur. GAL. At ego te istoc levabo morbo, Micylle; & quandoquidem nox etiamdum est, surge modò, ac sequere me; nam te ad ipsum Simonem adducam, atque in aliorum divitum ædes, quo *nimirum* videas, quomodo res habeant apud illos. MICYL. Quomodo hoc fieri potest, jam obseratis foribus? nisi fortè me etiam parietes transfodere compelles. GAL. Nequaquam. Verùm Mercurius, cui sum sacer, eximium hoc mihi dedit, ut siquis longissimam caudæ plumam *habuerit*, quæ ob mollitiem inflectitur. MICYL. Atqui duas habes ejusmodi. GAL. At dextram *ex his* avulsam cuicunque ego gestandum dedero, is, quoad voluero, fores omnes poterit aperire, & omnia videre,

ipſe non viſus. MICYL. Ignorabam equidem, Galle, te etiam præſtigiatorem eſſe. Itaque ſi plumam hanc mihi ſemel præbueris, videbis illico Simonis univerſas opes huc deportatas; nam eas huc rediens transferam. At ille rurſum ſoleas obrodens ſordibus purgabit. GAL. Atqui nefas eſt iſthuc facere: ſiquidem Mercurius *illud mihi* mandavit, ut ſiquis pennam tenens iſtiuſmodi quippiam patrârit, vociferando furem proderem. MICYL. Rem neutiquam veriſimilem narras, nempe Mercurium, cum ipſe ſit fur, non ſinere alios, ut idem faciant. Sed tamen abeamus, ab auro enim *manus*, ſi potero, abſtinebo. GAL. Pennam priùs revellito: quid hoc rei? ambas revulſiſti. MICYL. Hoc tutius, Galle, minuſque deforme tibi futurum eſt, ne alterâ caudæ parte mutilatus claudices. GAL. Age ſanè, ſed utrùm Simonem priùs adibimus, an alium quempiam divitem? MICYL. Minimè; ſed Simonem, qui jam dives factus pro diſſyllabo tetraſyllabus eſſe affectat. Sed jam ad fores acceſſimus. Quid igitur deinceps faciam? GAL. Pennam ſeræ admove. MICYL. Ecce, dii boni! oſtium perinde atque clavi patefactum eſt. GAL. Perge antrorſum: vides illum vigilantem ac ſupputantem? MICYL. Video per Jovem, & quidem ad obſcuram ſiticuloſamque lucernulam; præterea pallet, haud ſcio unde, Galle, totuſque exaruit, à curis ſcilicet extenuatus; non enim alioqui ægrotare dicebatur. GAL. Auſculta quid dicat. Intelliges enim, unde ſe ita habeat. SIMON.
Nimirum

Nimirum septuaginta illa talenta tutò admodum sub lecto defossa sunt, & ne unus quidem vidit: at verò sedecim illa Sosylus equiso vidit me sub præsepi occultantem; itaque de curando stabulo non est admodum sollicitus, præsertim cum laboris non sit amans. Ac verisimile est illam multò plura sustulisse; nam unde alioqui Tibius tam ingens salsamentum ipsi obsonâsset? quin & dicebatur inaurem emisse uxori drachmis quinque. Hi prorsus dissipant mea infelicis bona. At neque pocula, quæ tot mihi sunt, in tuto loco sunt posita; vereor igitur ne quis ea suffosso pariete tollat. Complures mihi invident, atque insidias parant, præter cæteros autem Micyllus iste vicinus. MICYL. Ita per Jovem, nam tibi sum similis, ac patellas sub alâ gesto. GAL. Tace, Micylle, ne nos præsentes deprehendat. SIM. Optimum igitur fuerit, ut ipse insomnis servem. Surgam & totam obibo domum in orbem *obambulans*. Quis iste? video te per Jovem, ô parietum perfossor; quandoquidem es columna, benè res se habet. Refossum aurum numerabo iterum, ne quid fortè me prius latuerit. En rursum obstrepuit mihi nescio quis: nimirum obsideor, atque insidiis appetor ab omnibus: ubi mihi gladius? si quemquam deprehendero. Rursum aurum defodiamus. GAL. Sic tibi habent, ô Micylle, res Simonis, sed abeamus ad alium quempiam, donec noctis adhuc aliquantulum superest. MICYL. O miser, cujusmodi vivit vitam? hostibus eveniat ad hunc modum divites esse; itaque pugno in

maxillam illi illiso volo discedere. SIMON. Quis me percussit? latrocinio despolior miser. MICYL. Plora ac vigila; & fias auro colore similis, penitus illi adhærescens. Nos autem, si videtur, Gniphonem fœneratorem visamus; nam nec is procul hinc habitat. Hæc etiam janua nobis patefacta est. GAL. Vides hunc etiam præ curis vigilantem, supputantem usuras, & digitos callo obductos habentem, cui propediem relictis his omnibus sit in blattam aut culicem, aut muscam abeundum. MICYL. Video equidem miserum ac vecordem hominem ne nunc quidem blattâ aut culice multò melius viventem. Ut verò etiam iste totus rationibus intabuit! nunc ad alium eamus. GAL. Ad tuum, si videtur, Eucratem; en & hæ fores patuere; itaque introeamus. MICYL. Paulò ante hæc omnia mea erant. GAL. At etiam nunc tu divitias somnias? vides igitur Eucratem ipsum à famulo, virum natu grandem. MICYL. Video profectò obscœnitatem quandam, & lasciviam non virilem; quinetiam alterâ ex parte ipsam item uxorem à coquo constuprari. GAL. Quid ergo? num optâris & horum hæres existere, Micylle, cunctaque possidere quæ sunt Eucratis? MICYL. Haudquaquam, Galle: imò fame peream priùs quam tale quid patiar. Valeat aurum, & convivia; duo oboli mihi potiores divitiæ sunt, quam si à domesticis mihi domus perfodiatur. GAL. Sed jam nunc, quandoquidem dies fermè diluxit, ad domum nostram redeamus: reliqua, ô Micylle, aliàs videbis.

DEORUM CONCILIUM.

JUPITER.

NE ſuſurretis ampliùs, ô Dii, nec in angulis coacti in aurem alii cum aliis colloquamini, indignantes, quod multi indigni noſtri ſympoſii ſunt participes. Sed quandoquidem de his datum eſt Concilium, quiſque palam ſuam dicat ſententiam, & accuſet. Tu verò, Mercuri, præconium ex lege pronunciato. MERC. Audi, tace: quis ex perfectis Diis, quibus id licet, in concione vult verba facere? de inquilinis & peregrinis futura eſt Deliberatio. MOM. Ego Momus, ô Jupiter, ſi mihi dicendi copiam feceris. JUP. Hoc tibi jam concedit præconium; itaque permiſſu meo nihil erit opus. MOM. Dico igitur nonnullos ex nobis malè facere, quibus non ſufficit ſe Deos ex hominibus factos fuiſſe, ſed niſi pediſſequas ſuos & famulos honore nobis æquales effecerint, nihil magni, nihil præclari præſtitiſſe ſe putant; velim autem, Jupiter, mihi liberè loqui concedas: neque enim aliter *loqui* poſſim: imò omnes ſciunt quàm liberâ ſim linguâ, nihilque eorum, quæ parùm honeſtè fiunt, ſilentio præterire ſoleam. Redarguo enim omnia, & palam, quæ ſentio, dico, neminem reformidans, nec ſententiam meam præ verecundiâ celans. Quare pleriſque moleſtus videor, & naturâ ad calumniandum propenſus, publicuſque accuſator ab ipſis appellor: Sed quandoquidem licet, & proclamatum eſt, tuque das,

ô Jupiter,

ô Jupiter, mihì liberè loqui, nihil reformidans dicam. Multi, inquam, parùm contenti quòd ipsi communis nobiscum consessûs sint participes, & ex æquo epulentur, idque cum sint dimidiâ ex parte mortales; suos quoque ministros & sodales in cœlum evexerunt, & *Deorum ordinibus* adscripserunt. Et nunc æqualem cum aliis distributionem sortiuntur, & victimarum sunt participes, quanquam pensionem, quam debent inquilini, nobis non persolverunt. Jup. Nequid obscurè dicas, ô Mome, sed dilucidè & apertè, & nomen cujusque addas. Jam enim in medium oratio ita tibi projecta est, ut multi conjecturas faciant, & aliis alii tua dicta accommodent. Oportet autem liberum concionatorem nihil præ metu tacere. Mom. Euge, ô Jupiter, quòd ad me loquendi libertatem cohortaris; hoc enim factum est omnino regium & magnificum. Quare dicam etiam nomen. Generosissimus videlicet ille Bacchus, semi-homo, nec à maternâ stirpe Græcus, sed mercatoris cujusdem Syrophœnicis *nempe* Cadmi ex filiâ *nepos*, posteaquam immortalitate donatus est, qualis quidem ipse sit, non dico, neque mitram, neque ebrietatem, neque incessum: videtis enim omnes, opinor, quàm molli & effœminatâ sit naturâ, semi-insanus, à diluculo statim merum spirans. Hic totum sodalitium nobis ascivit, & adducto choro adest, Deosque fecit Pana, Silenum, & satyros, agrestes quosdam, & caprarios plerosque, homines saltationi deditos, & formâ monstrosos. Quorum hic quidem cornua habens, &

dimidiâ

dimidiâ corporis parte deorsum capram referens, barbamque habens promissam, ab hirco parùm differt. Ille vero glaber senex, naso simo, qui plerumque asino vehitur, Lydus iste est: Satyri autem acutas aures habentes, & calvi ipsi cornigerique, qualia sunt quæ hœdis recens natis excrescunt. *Hi* gente Phryges; caudas habent etiam omnes. Videtis cujusmodi Deos nobis faciat hic Generosus? Itane verò mirum est, si homines nos contemnant, cum tam ridiculos monstrososque videant Deos? mitto enim dicere eum & duas mulieres adduxisse, alteram ab ipso amatam, nempe Ariadnam; cujus etiam coronam ostrorum choro inseruit; alteram vero Icarii agricolæ filiam. Quodque, ô Dii, est omnium maximè ridiculum, Erigones quoque canem adduxit, ne doleret puella, si non haberet in cœlo familiarem illam, & quam in deliciis habuit, caniculam. Annon ista vobis videntur contumeliosè, petulanter, & in derisionem facta? De aliis etiam audite. JUP. Nihil dicas, Mome, aut de Æsculapio, aut de Hercule. Video enim quò orationis tuæ impetu rapiaris. Nam horum alter medicum agit, & morbis levat *ægrotos*, & multorum aliorum instar est; Hercules autem, qui meus est filius, immortalitatem non paucis laboribus emit. Itaque ne ipsos accuses. MOM. In tui quidem gratiam tacebo, Jupiter, etsi multa possem dicere: quanquam si nihil aliud, adhuc tamen ignis signa ferunt. Porro si liceret & adversum te libertate loquendi uti, multa dicere possem. JUP. Atqui in me maximè

mè tibi licet dicere. Nunquid & me ut inquilinum in jus vocas? MOM. In Cretâ non tantum hoc audire est, sed & aliud quid de te dictitant, tuumque sepulchrum ostendunt. Ego verò neque illis credo, nec ex Achivis Ægiensibus, qui te subdititium esse dicunt: sed quæ potissimùm reprehensione digna existimo, hæc dicam. Etenim delictorum hujusmodi principium, & causam cur noster consessus nothis adulteretur, tu ipse, Jupiter, præbuisti, mortalibus mulieribus te commiscendo; & alias aliâ formâ ad ipsas descendendo: ita ut nos metueremus, nequis te comprehensum sacrificaret, cum taurus esses, vel aurifex aliquis te conficeret, cum aurum esses, & pro Jove nobis aut monile, aut armilla, aut inauris fieres. Attamen hisce semideis cœlum implevisti; neque enim aliter possum dicere. Et res est quàm maximè ridicula, siquis ex improviso audierit Herculem factum esse Deum, Eurystheum autem, qui ille imperabat, e vitâ discessisse, & prope sita esse Herculis templum, qui famulus, Eurystheique sepulchrum, qui herus erat. Rursus Thebis Bacchus quidem Deus est, ejus autem consobrini, Pentheus, Actæon, & Learchus, omnium hominum fuêre miserrimi. Ex quo autem semel tu Jupiter rebus hujusmodi fores aperuisti, & ad mortalium consuetudinem te convertisti, omnes te imitati sunt; nec masculi Dii solùm, sed, quod est turpissimum, etiam Deæ fœminæ. Quis enim ignorat Anchisen, Tithonum, Endymionem, & Jasionem, aliosque? Itaque

hæc

hæc omittenda censeo; longum enim reprehendere *singula* foret. Jup. Nihil, Mome, de Ganymede dicas; irascar enim, si exprobrato genere puerulum contristaveris. Mom. Proinde neque de Aquilâ dicam, quod & illa in cœlo versetur, regio sceptro insidens, ac tantùm non super tuo capite nidificans, & Deus esse videatur? an & illam Ganymedis causâ omittemus? at, ô Jupiter, Attis, & Corybas, & Sabazius, unde nobis accersiti sunt? aut etiam Mithres ille Medus, qui candyn & tiaram gestat, nec Græcam vocem sonat: adeò ut siquis ei propinet, non intelligat. Itaque Scythæ & Getæ hæc, quæ illis acciderunt, videntes, nobis longum valere jussis, ipsi immortalitate donant homines, suisque suffragiis, quoscunque libuerit, Deos creant, eodem modo, quo Zamolxis servus clam nescio quomodo nobis adscriptus est. At sanè hæc omnia, Dii, sunt mediocria. Cæterùm tu canino vultu Ægyptie, qui sindone amictus es, quisnam es, ô bone, aut quomodo dignum te censes, qui sis Deus, cum latres? quid & sibi vult Memphites ille taurus, versicolor, qui adoratur, edit oracula, & prophetas habet? pudet verò me Ibidas commemorare, simias, hircos, & alia longè his absurdiora, quæ nescio quomodo in cœlum ex Ægypto se inseruerunt. Hæc vos, ô Dii, quî sustinetis videre ex æquo aut etiam magis vobismet adorari? aut tu, Jupiter, quo fers animo, quòd arietis cornua tibi nata sint? Jup. Turpia profectò sunt quæ de Ægyptiis narras. Attamen pleraque illorum, Mome, mys-

 teria

teriâ in se habent, & quæ neutiquam par est profanum deridere. MOM. Planè nobis, Jupiter, opus est mysteriis, ut Deos cognoscamus esse Deos, & cynocephalos eos, quibus canina sunt capita. JUP. Missas fac, inquam, res Ægyptiorum: aliàs enim de his per otium deliberabimus. Tu autem de aliis dicito. MOM. De Trophonio, Jupiter, quódque me potissimùm angit, de Amphilocho; qui quanquam scelesti hominis & matricidæ filius sit, in Ciliciâ *tamen* præclarus ille vaticinatur, multa mentiens, & duorum obolorum gratiâ præstigiatorem agens. Proinde tu, Apollo, non ampliùs celebraris; sed jam lapis omnis, omnisque ara vaticinatur, quæ sit oleo perfusa, & coronas habeat, cuique vir præstigiator suppetat, quales multi sunt. Jam etiam Polydamantis athletæ statua febricitantibus in Olympiâ medetur, & Theagenis in Thaso. Quin Hectori quoque sacra faciunt in Ilio, & Protesilao e regione in Chersoneso. Ex quo autem in tantum numerum excrevimus, frequentius est perjurium & sacrilegium; & nos omnino despexerunt homines, idque meritò. Et hæc quidem de nothis & adscriptitiis Diis. Cæterùm ego multa peregrina nomina jam audiens quorundam, qui neque sunt apud nos, nec ullo modo esse possunt, multùm, ô Jupiter, etiam propter hæc rideo. Ubi enim gentium est illa multùm decantata Virtus, & Natura, & Fatum, & Fortuna, vana rerum vocabula, & quæ subsistentiam non habent, stolidis hominibus, philosophis scilicet, excogitata?

gitata? & tamen, quanquam ab ipsis temerè sint commenta, ita tamen simplices ad credendum adduxerunt, ut nemo nobis nè sacrificare quidem velit, cùm persuasum habeat fore, ut etsi infinitas hecatombas nobis obtulerit, fortuna tamen nihilo minùs faciat, quæ fato decreta sunt, & cuique à principio destinata. Quare libenter ex te quæsiverim, Jupiter, an alicubi videris aut Virtutem, aut Naturam, aut Fatum. Nam hæc te in Philosophorum disputationibus audire scio, nisi tam surdus sis, ut clamantes ipsos non audias. Quanquam multa habeo dicenda, dicendi tamen finem faciam. Video enim multos mihi dicenti succensere, & exibilare; maximè verò eos quos orationis libertas perstrinxit. Tandem ergo si vis, Jupiter, decretum de his jam conscriptum legam. JUP. Lege: neque enim omnia citra rationem reprehendisti. Et sanè multa ex iis cohibenda sunt, ne ampliùs augeantur.

DECRETUM.

QUOD FELIX FAUSTUMQUE SIT.

CONCILIO legitimè coacto, septimâ die mensis ineuntis, Jupiter summus fuit administrator, præsidebat Neptunus, præerat Apollo, Momus Noctis F. scribam agebat, & Somnus sententiam dixit. Quandoquidem peregrini multi, non Græci modò, sed & Barbari, etsi nequaquam digni sint, qui nostræ reipub. sint participes, adscripti nescio quomodo & Dii habiti, cœlum impleverunt, ita

ut plenum sit symposium tumultuosâ turbâ variarum linguarum hominum & collectitiorum: defecit autem ambrosia & nectar, ita ut minâ jam ematur sextarius propter bibentium multitudinem. Illi verò præ arrogantiâ, pulsis veteribus verisque Diis, semetipsos præter omnem morem patrium primis sedibus dignati sunt, & in terrâ ante alios honorari volunt; decernatur à Senatu & populo, ut Concilium in Olympo cogatur circa solstitium hybernum, & eligantur arbitri septem Dii perfecti, tres quidem ex veteri Curiâ, quæ sub Saturno *fuit*, quatuor autem ex Duodecim, interque eos Jupiter; hique arbitri sedeant ipsi, præstito legitimo Juramento per Stygem: Mercurius autem proclamato præconio omnes congreget; quicunque volunt huic Concilio annumerari: veniant autem illi adductis testibus juratis, certisque sui generis indiciis. Atque hi quidem hinc sigillatim transeant; arbitri autem examinantes aut Deos esse declarabunt, aut ad suos tumulos majorumque sepulchra ablegabunt. Siquis verò ex rejectis, semelque arbitrorum judicio secretis, comprehendatur in cœlum ascendens, ille præceps in Tartarum detur. Præterea quisque rerum suarum satagat; nec medeatur Minerva, nec vaticinetur Æsculapius, neque tam multa solus faciat Apollo, sed uno quopiam delecto *munere*, aut vates, aut citharædus, aut medicus sit. Porrò Philosophis denuncietur, nè vocabula nova fingnat. nec de iis, quæ omnino nesciunt, nugentur. Quicunque autem jam templis & sacrificiis digni habiti